Vide Unschuldige Nachrichten 1720. pag. 168.

5


DE
NUPTIIS PROPINQUORUM
IURE DIVINO NON PROHIBITIS.

AD
ILLUSTRISSIMUM ATQUE EXCELLENTISSIMUM
HEROEM.
IO. GEORG. DE HOLSTEN,

EQUITEM AURATUM, AUGUSTISSIMI DANOR. NORVAGORUMQUE MONARCHAE AB ARCANIS CONSILIIS, ET PRAESIDEM PRAEFECTURAE TUNDERENSIS SUMMUM,

DIAGRAMMA.
ANDREAE HOIERI CIMBRI.

1719.



ILLUSTRISSIME ATQUE
EXCELLENTISSIME DOMINE

Patrone longe indulgentiſſime!

Audet ſe in TUAM, VIR EXCELLENTISSIME, fidem atque clientelam conferre hoc, quicquid eſt, opuſculi, TUUMque Illuſtriſſimum ſibi praeſcribere nomen, quod infinitis & publice & privatim rationibus vnum praecipuum de decus & praeſidium tum opella haec, tum ipſius auctor debet venerari. Illa enim ad quem confidentius ſe conferat, habet neminem, quam TE, qui publicis pro ſalute patriae & eccleſiae incolumitate curis, arduisque

ab AVGUSTISSIMO nostro MONARCHA Tuae fidei atque prudentiae demandatis negotiis ita vacas, vt Musarum non plane nullam habeas rationem, sed diviniores illas (TUO ingenio cognatas) humanasque litteras impense ames, foveas, atque tuearis, absque quibus quicquid ecclesia nostra purioris lucis, quicquid civilis vita commodi atque humanitatis, quicquid Publica res ordinis, roboris, prudentiae atque gloriae habet, omnino foret nullum, sed foedissimo priscae illius barbariei feritatisque squallore iaceret demersum atque sepultum. Haec studia, quod minus ad speciem atque elegantiam, quam vtilitatem, virtutem & privatam publicamque quietem faciant, ab aularum pompa bellorumque strepitu alienissima cum vbiuis fere exulent, TU, Musagetarum nostri seculi optime, maxime, & facillime admittis in TUAM clientelam, & pro ea, qua bono publico polles, auctoritate, afflicta sustines, torpentia excitas & promoves, oppressa protegis, ornasque neglecta. Itaque cum quicquid ad litteras pertinet, & affectu & patrocinio dudum TUUM feceris, suo sibi officio defungi videtur ista scriptio, cum TIBI, MECAENAS suspiciende, sponte sua se addicit & consecrat, qui pridem eosdem clientes habes, quos patrius orbis litteratos. Quibus cum TUUS me favor meri-

tis

tis longe quidem imparem, venerabundo autem in TE affectu & obsequio nemini secundum adiunxerit, & ipsius, de qua hic agitur, rei dignitas Excellentissimo TUO ingenio tanti sit, vt de ea & ipse cogitare, & aliorum opiniones cognoscere, & quid verissimum iudices, pro summa TUA perspicacia definire non fueris dedignatus, ausus sum, istam dissertationem illustrissimo TUO iudicio demisso animo subiicere, maxime, vt publico aliquo documento testatum faciam, infinita esse TUA in me beneficia, & maiora, quam vt quamtumuis gratae atque venerandae mentis angustia illa vel capere possit, vel ex iusto aestimare, quibus si fauere perges, & addes clementi huic patrocinio perpetuitatem, efficies, vt tantum TIBI debiturus sim, quantum humana sors potest debere, hoc est, me totum. TE vero, Illustrissime HEROS, seruet benignissimum Numen Ecclesiae, patriae, litterarum, clientum, meo bono, TUAEque perennaturae gloriae quam diutissime.

Conspectus libelli.

Cap. 1. Gradus Prohibiti Jure naturae nulli ſunt.

2. Nullum datur Jus diuinum poſitivum vniverſale.

3. Inſtitutio Coniugii Geneſ. i. vtrum Legis inſtar ſit?

4. Legem Levit. XVIII. non eſſe vniverſalem,

5. Rationes Legis XVIII. cap. Leviti exponit.

6. Conſenſus doctorum, Theologorum, & Jure conſultorum.

7. Finis vſusque dictorum.

B.C.D.



B. C. D.

Cap. I.

An gradus prohibiti ex Jure Naturae pateant?

1.

Matrimonia inire, quin omni jure licitum atque honestum sit, nemo inquam dubitare potest, qui sanae mentis vsum non abiecit. Verum de ratione contrahendorum connubiorum, illorumque conditione, & finibus, quos in illis aut constituendis aut gerendis excedere non liceat, varia semper atque multiplex fuit disceptatio. Maxime autem illa celebrata est quaestio, liceatne cuilibet cum qualibet maritalem ingredi societatem, an vero sint certae *rationes* aut *propinquitatis* aut *affinitatis*, quas coëunte inter eiusmodi necessarios coniugio; violari nefas sit? *Gradus prohibitos.*

2. Et Civili sane jure, inter omnes omnimo gentes, quae constitutis rite legibus, non vero solis moribus reguntur, personas aliquas & propinquitates interdictas esse, easque, quae cum talibus fiunt, nuptias pro incestis & nefariis haberi, extra controuersiam est. Neque in eo iam occupabitur hic labor, vt, quibus ex cuiusvis populi institutis sit abstinendum declaret; longe minus etiam, vt explicet, qua ratione quaevis *Vetari.*

eius

eius generis civilis constitutio subnitatur; sed vnice in id iam incumbet qualiscunque haec meditatio, vt

Lege divina

penitius perspiciatur, *vtrum divina aliqua lege, quae ab humano arbitrio non pendeat, certi gradus propinquitatum & affinitatum, ne in consortium coniugale coalescant, definiti sint?*

Naturali.

3. Cum vero *Divinam legem* vulgo, nec male duplicem esse statuant vnam *natam*, quae a summo Creatore, omnium animis ita est indita, & a primo humanae gentis ortu impressa, vt ratione interprete, ex illa, quid iustum & conveniens sit officio naturae, quid minus, possit cognosci; alteram vero, ab ipso Numine postea humano generi expositam & *praescriptam*, & divino deinde beneficio in perpetuam rei ad posteros memoriam S. litteris consignatam; quarum illam plerumque *Ius naturae*, hanc vero *Legem divinam positivam* vocitamus; placet seposita interim de *positiva lege* disputatione primo loco disquirere, vtrum *naturali Iure* de prohibitis inter consanguineos nuptiis aliquid cautum sit.

Qui affirment?

4. Vbi statim non desunt, qui audacter affirment, non exigui nominis viri, ex veteribus Plutarchus *(a)* ex prima ecclesia Doctores plerique, ex recentioribus etiam Theologi & Philosophi non incelebres; & posset sane cuilibet eiusmodi subnasci opinio, cum Romanos constet, plebiscito *(b)* omnibus propinquitatibus, quae intra Consobrinos & amitinos sint, talem conjunctionē interdixisse, quos tamen divinae legis ignarissimos sua ex nuda ratione hausisse sit in propatulo. Verum vndecunq; isti hanc legem hauserint id saltem patet, eam vnice ad quietem publicam & privatam respexisse, & rationes subfuisse familiares atque civiles ob quas & antequam

(a) Quaest. Rom. qu. 107. *(b)* Plutarch Quaest. Rom. qu. 6.

quam ferretur, & poſt illam quoque antiquatam contrarii fuerunt mores Romanorum. Neque enim aut olim, aut noſtro ſeculo fuit repertus, qui ex naturae humanae contemplatione cauſſam eiusmodi legis, luculenter potuerit demonſtrare.

5. Veteres enim ſi audias, diſputantes, cur Cognati nouo nuptiarum vinculo non queant coniungi, nihil afferent, niſi eſſe magis e re communi, vt latius novis ſemper affinitatibus ſpargantur amicitiae, quam vt quaevis familia petitis ex ſe connubiis intra ſe (*a*) contineatur. Quod equidem fateor, facere ad explicandam vtilitatem eiusmodi civilis decreti, nequaquam autem oſtendere, officii eſſe naturalis ab eiusmodi abſtinere matrimoniis. Neque enim, quae ad commoda publica opportuniſſima non ſunt, ſtatim illicita erunt, nec conſilia aut praecepta civilis prudentiae cum neceſſitate legis innatae confundi debent. Nemo enim facile dixerit, peccare in naturalem legem *Magiſtratus*, qui capitali ſupplicio fures afficiunt, etſi forte è re publica magis ſit, illos operibus publicis applicatos & communi vtilitati, & eo praeſentiori ad alios exemplo ſervari. *Ratio Veterum.*

6. Recentiores, varias alias producunt rationes, quibus ex ipſa natura conſtare putant, non licere coniungi proximis aut ſanguine aut affinitate. Praecipuus hic ſit, vir celeberrimus Gottl. Gerhard. Titius (*b*) qui naturae nuptias tales repugnare putat, (1) quod inter eiusmodi nupturos iam ſit quaedam *vnitas*, adeoque velut ſecum ipſi cohabitent, quod dictu nefandum *Rationes recentiorum.*

(*a*) Plutrach. Quæſt. Rom. qu. 107. & Auguſtin. de Civit. Dei L. XV. c. 16. (*b*) In Obſervationibus ad Pufend. de Off. hom. & civis obſ. 496. n. 23. Nec non in Diſſ. de Polygamia inceſtu ac divortio Jure naturae prohibitis cap. 2.

dum. (2) quod a natura sociali abhorreat, *vt cognatio* vix incepta, in sua redeat initia, cum potius illa *latius sit spargenda.* (3) admissa porro inter necessarios licentia in coniugia se copulandi *ansa stupris* ac adulteriis *praebeatur*, (4) denique *nullus legitimus* finis sit, cur eiusmodi matrimonia expetantur.

Examinantur.

7. Verum speciosius ista, quam solidius esse prolata quis non videt? nam vt singula sigillatim recognoscamus (1) quaenam est ista; quam vrget, vnitas propinquorum moralis? nulla certe, aut saltem metaphorica. Neque vna sunt, quae ex eodem prognascuntur stemmate, nec (si admittas similitudinem, in accuratione iuris non admittendam) definiri potest, quando desinant esse vna, quae eiusdem sunt stirpis. Omnis enim hominum gens, cum ex vno fluxerit, ista ratione ob fictam hanc vnitatem non poterit sibi invicem ad sobolem procreandam se iungere, & fuit, si Titium audias, omnino ex incestu orta, cum nec Adamus cum Eva tanquam sua ipsius carne, nec liberi ipsius cum sororibus, rite & legitime se copulare potuerint. Adde iam, absone satis inde, quod secum nemo possit cohabitare, concludi, nec licite coniungi quemquam cum proximis suis. Quod cur sequatur, non video, potius conieceris: qui coniuncti iam sunt genere, & vniti amore familiari, inter hos felicius coalescere amores coniugales, duplici vinculo firmiores futuros. Sed reapse hic affertur, quod erat in controversia, proximos coniungi non posse quod uni sint, id est proximi. Quod in alio autore, quis non rideat? in Titio vero demiratur. (2) Custodiendae civili vitae nequaquam adversae sunt nuptiae propinquorum, quamvis forte, vt iam supra monui, is scopus paullo felicius attingatur connubiis inter familias sibi nil affines. Neque tamen tanti id fuerit,

quan-

quanti prima ſpecie videatur. Non enim quaeritur, vtrum ſocietas ſatis cuſtodiri queat, ſi vniverſi proximas ſuas ducerent, ſed vnice, num matrimonium quodlibet ſingulare cum propinqua contractum, vitae ſociali repugnet? Quod vix quisquam aſſeruerit, niſi qui ſimul audeat definire, peccare in naturam, quicunque vxorem non ducat, quod humana ſocietas mox interitura ſit, ſi omnes a nuptiis abſtinerent. (3) Nec iniuſtum protinus & illicitum eſt, quod in abuſum poteſt verti. Quod vel bellorum, artis palaeſtricae & ſexcentis aliis exemplis poteſt doceri, quae a cordato vix damnentur, quamvis illorum noxa praeſentior fere ſit, quam ipſe vſus. Nec licebit hac ratione ſervos ancillasq; in eadẽ alere familia cum familiarior illorum converſatio & facultas ſe in matrimonio coniungendi hic facile variis libidinibus anſam praebere poſſit, imo praebeat. Nemo tamen affirmaverit, naturali lege peccare, qui mixtam ex vtroq; ſexu alat familiam. (4) Legitimus autem finis, cur, nuptiis inter cognatos, plane negetur, non perſpicio. Quae enim paſſim pro non laxandis matrimonii ineundi cauſis habentur, prolis honeſtae cupiditas, evitatio vagae libidinis, adiutorium mutuum pro neceſſitate & valetudinis & fortunarum, item quae honeſtiſſimae in ſeligendis ſponſis habentur rationes, perſpecta virtus, ingenium commodum, morum ſvavitas, diſciplina domeſtica, denique forma, fortunae, genus, amici eiusmodi, vt ad ſvave & ſtabile vitae conſortium requiruntur; iſta inquam omnia poſſe in ambiendis proximae cognatae nuptiis eo magis habere locum, quo minus cognatorum mores conditionesque obſcurae ſunt & incognitae, quilibet facile animadvertet. In illuſtribus auten familiis, tot omni tempore occurrere poſſunt rationes, cur cognati Con-

iuges extraneis sint praeoptandi, tam ob ambientis ipsius, quam subditorum felicitatem conservandaque familiae iura, vt hic multa addere plane supervacuum sit.

Grotius recte negat. 8. Rectius itaque, & vt res est, iudicat vir in naturali Iurisperitia summus *Hugo Grotius*; (*a*) *Causas*, „ *certas & naturales*, cur talia coniugia, ita, vt legibus „ & moribus vetantur, illicita sint, assignare qui vo- „ luerit experiendo discet, quam id sit difficile, imo „ praestari non possit. In quo quam vere sentiat vir „ acutissimus, vt eo planius ob oculos ponam, lubet per singula cognationum genera ire, & quid ex naturae ductu in illis licitum vetitumve sit perpendere.

Quod ostenditur. 9. Cum itaque omnes illi cognati, quibus lege matrimoniali apud nos abstinere iubemur, communiter dispescantur in *Lineam Rectam*, quae Maiorum posterorumque habet rationem, & *Collateralem*, qua fratres sorores, & cognatos reliquos omnes continet, ex quibus non sis exortus, sed ad eandem cum illis pertineas originem; de collateralibus primus sit sermo. (1) In Linea Collaterali. Horum itaque Connubia naturali lege non esse vetita, plerique omnes fatentur. Et sunt in omni historia profana & sacra frequentissima huius coniunctionis exempla & instituta. Nam vt de Graecis (*b*) & Aegyptiis Romanisque (*c*) moratissimis certe illo aevo gentibus nil memorem, quibus sorores in matrimonio habere sollemne fuit, sanctissimi Patriarchae, quorum ne-

(*a*) De Iure belli & pacis L. II. c. 5. §. 12. (*b*) Corn. Nepos praefat. §. 4. & Vit. Cimon. c. 1. de Thessalis vid. Livium lib. 40. Adde infra dicenda de Aegyptiis. De Romanis priscis Papinianus ICtus L. 4. D. de Gradibus & affinitate §. 7. docet: solum prohiberi nuptias eorum, qui loco parentum essent. Exemplum Tarquinii superbi vid. in Livii L. I Dion. Halicarn. lib. IV. c. 35.

nobis exempla divinis litteris sedulo commendantur, eiusmodi coniugia inivere, non modo in divinis oraculis non reprehensa, sed promissione etiam caelestis gratiae, & ex his ipsis complexibus olim exoriundi Messiae luculenter appobata sunt eiusmodi Connubia *filiorum Adae*, quos germanas sorores maritasse oportet; *Abrahae*, cui vterina soror (*a*) vxor fuit; *Iacobi*, qui binas eodem thoro sibi copulavit, sorores; (*b*) *Amrami*, qui Amitam (*c*) duxit Iochebet, singula divinis oraculis celebrata. Vt, si huiuscemodi matrimonia, legi a Deo naturae inditae repugnarent, necessum sit, & Deum non tolerasse modo, sed probasse, laudasse, ornasse imo mandavisse (vt in lege de ducenda fratris Vidua inferius ostendam) quae primaevo & innato iure vetuerat, & totum etiam humanum genus, quin ipsum orbis sospitatorem, ex incestu esse prognatum. Qualia vix afferet, qui absurdis non delectatur.

10. Non equidem ignoro, multis ita esse persvasum, ista a Deo tolerata potius esse, quam probata. Sed non videtur lucem ferre exceptio, neque enim tolerantur modo, sed laudantur, & divino favore, quo omnibus faustis haec consortia mactavit Numen iustissimum & purissimum, dignissima feruntur in divinis monumentis, quaedam etiam a Deo diserte Iudaeis iniunguntur; cum tamen, si naturae lege haec prohibuisset Creator, illaesa aeterna sua iustitia, quae contra fierent, nec tolerare; nec probare, nec jubere possit. Eius enim voluntas aeterna perfectissima, & immutabilis est. Nec videtur quidquam magis absonum posse dici, quam sapientissimum Conditorem, cum homines crearet; simul legem de non ducendis sororibus

Deus contra Ius naturae nec dispensare nec connivere potest.

(*a*) Gen. XX. 12. (*b*) Gen. XXIX. 23, 24, 29. 30. (*c*) Exod. VI. 20. Num. XXVI. 59.

& propinquis illis indidisse, & eodem tempore imposuisse necessitatem hanc legem violandi, nisi forte Adami liberi, omissa maritali conjunctione, debuissent cum omni humano genere, improles decedere. Quid etiam omnipotenti fuisset, facilius, si eius voluntati semper repugnent istae maritationes, quam eadem opera, qua binos creavit homines, plures formare, ex quorum liberis sine immotae naturae legis violatione & incestu, potuisset humana gens propagari? Sed qui de his dubitant, in ipsa meridie caecutire videntur.

(2) In Linea recta. II. Transiturus iam ad *lineam Rectam*, acrior movetur controversia, obluctantibus hic contentiosius, etiam iis, qui de Collateralibus mecum sentiunt, Theologis ac Jure consultis omnis aevi plurimis & celeberrimis. Dissentientes. Ita enim (vt ex multis paucos adducam) Grotius, (*a*) Pufendorffius, (*b*) Vitriarius, (*c*) Boeclerus, (*d*) Titius, (*e*) Seldenus, (*f*) Kulpisius, (*g*) Ioh. Musaeus, (*h*) Buddeus (*i*) Maiorum cum liberis nepotibusve connubia nativo Iure prohiberi contendunt. Consentientes. Quibus summis viris obsistunt maxima etiam nomina, Osiander (*k*) Thomasius, (*l*) Zieglerus, (*m*) Weberus (*n*) & nostri aevi non pauci, qui negant; posse evidenter satis ex ratio-

(*a*) De Iur, Bell. ac Pac. L. II. c. 5. §. 12. (*b*) Pufend. de Iur. N. & G. L. VI. cap. 1. §. 28. 32. (*c*) Virriar. Instit. Iur. N. & G. L. II. c. 5. qu. 20. (*d*) Boecler. ad Grot. de I. B. & P L. II. c. 5. §. 12. (*e*) Obs. ad Puf. de O. H. & C. Obs. 496. (*f*) Selden. de I N. & G. L. V. c. 10. (*g*) Kulpis Colleg. Grotian. ad L II. c. 5. §. 7. pag. m. 58. (*h*) Disp. de Coniugio §. 106. (*i*) Instit. Theol. mor. p II. c. 3. Sect. 6. §. 11. n. 2. (*k*) Ad Grotium l. c. (*l*) Instit. Iurispr. div. L. III. c. 2. §. 220. (*m*) Ziegler. ad Grot l. c. p. m. 276. (*n*) Imm. Weber Not. ad Puf. de O. H. & Civ. p. m. 267. Idem in Themat. Selectis Pufendorfio subiunctis p. m. 35.

ratione doceri, has nuptias inceſtas eſſe & prohibitas ſua natura.

12. Et videtur omnino; ipſum, quod naturalis dictat ratio ius, gentes etiam docuiſſe: abſtinendum eſſe, a commiſtione cum parentibus, aut ex ſe natis. Neque enim Graecis nec Romanis, nec Aegyptiis ſapientiſſimis populis, tales complexus fuere liciti; vtpote quos, ex ſola ratione didicerant averſari rationi. Etenim illa Lucanus (*a*) edoctus, cecinit: *Exempla antiquorum pro diſſentientibus.*

- - cui fas implere parentem,
Quid rear eſſe nefas?

& ipſa etiam oracula (ſive vafritiei ſacerdotum, ſive Daemonum praeſtigiis ea tribuas, omnino legis divinae poſitivae expertiſſima) iſtiusmodi contubernia nefanda eſſe docuerant:

Τῶ πάντων μήτηρ μητρόφθορον ὀ δέχετ᾽ ἄνδρα (*b*) i. e.

Tellus omnium mater, non recipit, qui matrem corrumpere ſuſtinuit.

Effatum eſt, de non ſepeliendo Perſa, cui genti ſollemnia fuiſſe coniugia cum matribus & filiabus infra docebitur.

13. Cum itaque & olim, & iſto adhuc tempore Iuri naturae inimica talia eſſe cenſeantur, inquirendae erunt rationes, cur ita ſit iudicandum. Quae enim ex ratione ſuam expectant lucem, auctoritate non fulcienda ſunt, ſed cauſarum expoſitione. Maiorum itaque parentumque cum liberis nepotibusque cöitiones matrimoniales, inceſtuoſas aiunt (1) ob *abhorreſcentiam affectus naturalis*, vt Grotio (*c*) placuit, ſive, vt Kulpiſius (*d*) pronunciat, *ex dictamine naturae ſine ratio-* *Rationes diſſentientium.*

(*a*) Lucan. Pharſal. lib. 8. (*b*) Agathias Hiſtor. lib. II. (*c*) Grot. I. B. & P. L. II. c. 5. §. 12. n. 5. (*d*) Kulpiſ. Colleg. Grotian. ad h. l. p. m. 58.

ratiocinatione, in quo olim iam praeeuntem ſequuntur Iuſtinianum (*a*) Imperatorem, qui *inſtinctum naturae animalibus* (*b*) *omnibus inditum* dicit, ſequutus ſcholas Stoicas, Naturae Iura & dictamina, brutis etiam tribuentes. (2) Ob *pudorem* naturalem, quo inverecunda coram parentibus dicere aut facere, iisque familiariter vti prohibemur, quae ſententia eſt Pufendorfii (*c*) deſumta ex placitis Paulli antiquiſſimi apud Romanos Iureconſulti (*d*) (3) Ob *confuſionem nominum & officiorum* parentalium atque coniugalium, quae inter ſe pugnare videantur, cum inter parentes liberosque, reverentia & imperium aliquod; inter coniuges vero aequalitas & familiaritas ſumma, ex naturali lege intercedat. Quod Grotio (*e*) & Vitriario (*f*) praecipuum viſum eſt argumentum. (4) Socrates (*g*) denique, Graecorum facile ſapientiſſimus, *inaequalitatem aetatis* & inde metuendam prolem aut nullam aut vitioſam & debilem adducit, tanquam praecipuam ad hanc cauſam argumentationem.

Quae non ſtringunt.

14. Quamvis autem iſta tantam habeant ſpeciem, vt ſummis etiam ingeniis ſatisfecerint, coepere tamen ab 30 forte annis a plurimis in dubium vocari; & ſollicite diſpici, num ſolidum crepent. Et ſunt ſane non tanti momenti, vt evincant, Lege naturali damnari omnino, tanquam nefandas & inceſtuoſas, illas nuptias, quas cum parentibus liberi celebrant, quamvis (vt inferius

(*a*) Novell. Iuſtin. novell. 12. c. 1. adde Paul. Cypraeum de Iure Connub. p. 2. c. 6. §. 1. n. 3. (*b*) Sic de Elephantis varii, maxime Ariſtoteles, de equis Plinius Hiſt. nat. L. IIX. c. 48. affirmant, eos matribus nolle miſceri. Sed falſo. (*c*) Pufend. de I. N. & G. l. VI. c. 1. §. 28. 32. Idem Specim. Controverſ. c. IV. §. 21. (*f*) L. 14. Adoptivus §. 2. Serviles D. de R. N. (*g*) Grot. I. B. & P. L. I. §. 12. n. 2. (*h*) Vitriar. Inſtitur. J. N. & G. L. II. c. 5. qu. 20. (*i*) apug Xenophont. lib. IV.

ferius monebo) doceant, illas minus tutas, tranquillas, & honeſtas eſſe, quamquae cum extraneis ineuntur.

15. Quae enim ex Gentibus de inceſtuoſis nuptiis adducta ſunt, his oppono totius fere Aſiae antiquae mores, quibus licitum & honeſtum fuit, maioribus, liberisve ſuis copulari. De Perſis teſtis ſit Clemens (a) Romanus, & Xanthus, (b) fidiſſimus harum rerum interpres, cum ipſe Perſicae diſciplinae fuerit addictus, ex quo conſtat, huiuscemodi coniugia non licita modo, ſed in eo etiam nobiliora, illius aevi ſuperſtitioni, eſſe viſa, vt nobiliſſimos, Regio ſolio magis dignos & ſapientiores inde ſperarent orituros liberos. *Afferuntur exempla vetuſtiſſima pro theſi.*

Nam Magus ex Matre & gnato naſcatur, oportet.

Magorum quippe nomen illi ſeculo non perinde exoſum fuit, vt noſtro, ſed ſapientem, & naturae reconditas vires edoctum denotabat. Conſentit iſtis Joſephus (c) graviſſimus Scriptor, & Sextus Empiricus (d) qui ſuo etiam tempore hos mores in Aſia valuiſſe teſtantur. De Auſtralis Aſiae incolis idem affirmat Ptolemaeus. (e) Nec XII. poſt Chriſtum natum ſeculo eiusmodi matrimonia in Minori Aſia fuere turpia aut interdicta. (f) Et, ne aut vni genti, aut ſeculo id tribuas, de omnibus id Barbaris (qua voce Graeci totum terrarum orbem complexi ſunt, excepta Graecia) olim affirmavit Euripides (g)

C Τοῖϛ-

(a) Clem. Rom. Recognit. L. IX. (b) Xanthus in Magicis apud Clem. Alexandr. Strom. III. Adde Philon. de ſpecialibus duorum Decalogi Capitum, qui tales liberos aliis in regni hæreditate praepoſitos docet. Et Imp. Iuſtin. in Novell. 154. (c) Ioſeph. antiq. Iud. L. XX. c. 2. (d) Sextus Empiricus Pyrrhon. hypotypoſ. L. III. cap. 24. apud Selden. Iur. Nat. & & Gent. L. V. c. 2. p. 623. ſeqq. (e) Ptolomaeus Tetrabibl. lib. II. adde Pufendorf. I. N. G. L. VI. c. 1. §. 32. (f) Beniamin Tudelenſis Itinerar. p. 34. (edit Conſtant. l' Empereur) (g) Euripides in Androm.

Τοιῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος
Πατήρτε θυγατρί, παῖστε μητρί μέγνυται
Κόρη τ' ἀδελφῷ
- - Καὶ τῶν δ' ὐδὲν ἐξείργει νόμος.

Tale eſt omne barbarum genus: Pater filiae, natus matri ſe miſcet, ſororque fratri, nihil horum prohibente lege.

Et in ipſis Graecis, à barbaro more alienis, Seleucus Syriae Rex vxorem Stratonicen filio Antiocho ex nimio novercae amore perditiſſime laboranti tradere non fuit veritus. (*a*) Neque ipſo hoc noſtro aevo vbique deſiiſſe eiusmodi connubia (*b*) ex itinerariis patet. Quin antiquiſſimis Graecorum auctoribus, quibus de diis tribuendae videntur fabulae, iſta connubia nefanda & inceſtuoſa non fuere viſa; neque enim, ſi huiuscemodi illa habuiſſent, ipſos ſuos Deos talibus coniugiis ortos vſosque fuiſſe finxiſſent. De quibus primi ſaltem effictores vix videntur alia voluiſſe tradere, quam quae divina Maieſtate digna & patriis moribus non damnata iudicarent. Iovem enim cum Matri Deum coniunxere, cum maritum ſororis germanae Iunonis finxere, cum tradidere eum filiae propriae Proſerpinae amore defunctum (*c*) eſſe, non videntur metuiſſe, ne aut narrationi fides, aut reverentia Numini detraheretur, quod neceſſum fuiſſet, ſi antiquiſſimum illud ſeculum perinde, vt ſequiora, ab his abhorruiſſet. Quae omnia ſatis declarant, pleraſque gentes ex ratione non potuiſſe cognoſcere, abſtinendum eſſe

(*a*) Plutarcho teſte. (*b*) Quae etiam ita iuſta barbaris videntur, vt rideant ab his alienos Europaeos, cum iniquum videatur ipſis, eum, qui arborem plantavit, a fruitione ipſius excludi. (*c*) Vid. Arnob. adverſus Gentes L. V.

esse ab istis complectationibus coniugalibus, quae si quid hic dictet, non minus apud hos populos & ista tempora, quam inter Graecos Romanosque valuisset, quorum instituta aut ex civili prudentia, aut ex commercio cum Iudaeis Aegyptiisque potius, quam sola rationis illustratione videntur esse profecta.

Respondetur rationibus 1. Naturali horrori.

16. Nec magis stringunt argumenta supra §. 13. explicata. Nam (1) nec adest iste, quem appellant *affectus naturalis horror*, nec si adesset, sufficeret ad damnandas coniunctiones cum parentibus. Neque enim ea omnia, a quibus abhorremus, illicita & nefanda statim sunt naturali lege. Sic bufones contrectare, quae vomueris, resorbere, & sexcenta alia cui non moveant horrorem? quae tamen prohibitione naturali non dixeris esse damnata. Et vix quicquam maiorem naturae incutiat horrorem, quam pericula mortis, quae tamen subire non modo non prohibemur, sed nonnunquam etiam iure naturae iubemur. Sed, uti dictum, abhorrescentia, quam accusant, nulla est, nisi ex educatione & communi persvasione. De brutis, quae etiam hic non minus quam homines sapere volunt veteres Iure-consulti, ex omnium quadrupedum, aviumque, domesticarum maxime, id patet vagis foecundationibus. De homine non magis obscurum est, testibus tot olim & nunc populis tot inter Christianos etiam exemplis passim prostantibus, communicati cum parentibus liberisve (a) corporis, tum per inscitiam

 tum

(a) Rarum eiusmodi exemplum ex Luth. Comm. in Gen. c. 36. refert Hertius de Matrim. Putativo. Opusc. T. I. p. m. 365. cui simile est, quod Lubecae in Cathedrali ecclesia notissimo illo epitaphio traditur. Wonder över wonder, Hier ligt under, Vader un Moder, Syster un Broder, Mann un Wif, dre Seelen, un een Liif.

tum per libidinem, ſine vllo horrore aut naturae abominatione.

a. Pudori. 17. Quae porro (a) a nativo Pudore petuntur tela, valde ſunt imbellia. Pudorem naturâ maiorem erga Parentes quam extraneos eſſe nego, nec conſequitur ſtatim, prohiberi cum illis nuptias, coram quibus turpem aut inverecundum videri pudeat. Ita enim omnes erunt prohibitae feminae, nam omnes ſane cauſam pudoris habent in ſe, & plane frontem depoſuerit, qui inſpiciente alterius ſexus homine, non familiari inprimis, audeat turpiter ſe dare. Et ſi quis ſit eiusmodi, is minus erit in parentes, ſuosve verecundus quam in alios. Quod inter plebem ruſticam non obſcurum eſt, quae ſaepe ſuis inſpectantibus nuda incedere non erubeſcit, coram aliis magis pudibunda. Denique pudor, vbi adeſt; non efficit, vt propterea id, ob quod erubeſcis, legi adverſetur. (Sicut mendicare pleroſque pudet, licet id iniuſtum non ſit) ſed ſequitur potius conſcientiam rei in ſe, non ob pudorem decoro & moribus honeſtis, non legi normaeque iuſti adverſantis, ſaepe etiam nec indecentis nec inhoneſtae, ſed inſolitae tantum. Itaque etiamſi ſemper adſit maior pudor & verecunda continentia coram parentibus, quam aliis, collegero inde indecora, aut forte minus honeſta noſtris praecipue moribus eſſe, quae illis praeſentibus facere pudet, non vero iniuſta & naturae arbitrio nefanda. Niſi forte aut in lutum provolui, aut publice ſubſannari a petulantibus, aut ab infamibus appellari amicum, aut criminis non patrati reum agi, aut viliora quam pro conditione, miniſteria facere, aut deprecari culpam & innumera huius furfuris inceſtui aequalia & criminoſa ſtatim erunt, quod vel perfrictiſſimis frontibus ruborem eliciant.

18. Idem

18. Idem videtur (3) de Confusione nominum officiorumque maritalium esse sentiendum. Neque enim perspicio, quid impediat, quo minus inter parentes liberosque summa familiaritas, inter Coniuges autem reverentia & imperium esse possit, nec Pater peccat, si filium filiamve non modo libere & familiariter secum vivere patiatur, sed, si forte sapientiores sint, aut pater ex aetate minus valeat iudicio, illi obsequatur, & aliquo modo pareat: Nec nullum aut vitiosum est Coniugium, vbi vxor marito imperat. Vtrumque vulgatissimis vbique exemplis confirmatur. Etiamsi vel maxime incongruum videatur, parentem liberis familiarissime vti, maritum autem vxori obsequium praestare, non tamen inde fluet; Contrarium id esse naturae iuri. Apertius enim pugnat subiectio subditi cum nomine & auctoritate mariti patrisve. Neque tamen vnquam quisquam sustinere fuit ausus, peccare reginam si subditum maritum adsciscat, aut prohibere legem innatam, ne pater privatus, filio Regi subiectus sit. Filius etiam si novercae matrem ducat, adeoque patris socer, quodammodo fiat, incredibili modo confunduntur, nomina filii, priuignique, & patris atque Soceri, nec non privignae & novercae denique sororis, neptis affinisque. (*a*) Qualia tamen coniugia nulla lege nec divina nec humana vetantur. *3. Confusioni nominum.*

19. Quod denique (4) Socrati *inaequalitas* aetatis & metuenda proles imbecillis, aut nulla displicuit, ea ratio aut frustra est, vbi pater filiae neptisve ambiat coniunctionem, filiusve adultior novercae iuniori iungatur, aut vbi adest, non magis iniusta sit, quam nuptiae cum senibus omnes, quibus tamen nulla lex in- *4. Inaequalitati aetatis.*

(*a*) Conf. omnino Ioach. Hopp. ad Institut. tit. de Nuptiis princip. de Comput. Graduum §. 17.

terdicit, quamdiu spes prolis adsit. Vt itaque ista disputatio ad omnes senes nupturientes, non autem solos parentes pertineat, nec ad naturalem legem, sed potius civilem spectet prudentiam.

Nullus itaque ex Lege naturae incestus.

20. Lege itaque naturalis Iuris, in arctiori significatu, non interdictae & incestae sunt. Nuptiae inter Radicem Ramumque seu Cognatos Lineae Rectae adscendentis (vt vocari solet) contractae, cum nulla idonea ratio inueniri possit, quo receptam fere vbique sententiam tot solertissimi eius defensores potuerint tueri. Vbi autem ratio deficit, ibi nec iure naturali rationi subnixo, quicquam potest esse definitum. Quod vt eo luculentius magisque extra dubitationem sit, firmare porro conabor vno alteroue argumento, esse omnino nullam hac in quaestione Innati luminis constitutionem.

Confirmatur Thesis, 1. Quod primis hominibus, licuit filias ducere.

21. Fatentur antiqui Iudaeorum Magistri, prima mundi vix nati aetate, licita fuisse, non fratrum modo cum sororibus, sed patrum etiam cum filiabus matrimonia. (a) Quod si in his illis fides habenda sit, vti habuere viri summi, nec vlla obstat ratio, quilibet facile perspiciet, ista non vt illi explicant, dispensatione divina permissa, sed ipsa natura duce licita fuisse. Quod vt doceam non videtur opus, quae supra §. 10. adducta sunt, repetere. Accedit exemplum Iudae cum nuru (b) concumbentis, quód in hac controversia non obiter meretur considerari. Nurus ipsius erat Thamar, vidua per aliquot iam annos destinata filio ipsius minimo, post ab ipso iam viduo, inscio quidem constuprata, sed cum gravidam esse comperisset, igni adiudicata ob violatam fidem, quam dederat, de servanda

2. Thamar nuptias Iudae soceri ambiit pro more avi.

(a) Buddeus synopsi I. N. & G. sec Discipl. Ebraeor. p. m. 47. Selden. I. N. & G. L. V. c. 8. (b) Genes. c. XXXIIX. 11-26.

da viduitate, ad Coniugium cum filio Iudae, & inustam simul maculam omni suae familiae. Deinde tamen, cognito ex se vterum gerere, absolvit eam Iudas a pœna capitis, nec peccasse ait, sed iustiorem se, esse. In quo Casu notabile videtur (1) fuisse hic omnino coniunctionem cum socero, in linea adscendente (2) tum demum ab illa quaesitam, cum mortua Iudae vxore socru sua spem matrimonii cum socero viduo posset habere Thamar, (3) suscepisse illam hoc consilium spe nubendi socero *(a)* (4) Postea ob violatam, quam de nuptiis cum minori Iudae filio inierat pactionem, & prostitutum corpus, capitis supplicio ex sententia Iudae tanquam patris familiae fuisse plectendam, cum violata fides naturae iuri repugnet, & accederet, hic totius familiae ignominia. (5) Audito autem; Thamarem ex Socero concepisse, non auxisse Iudam pœnas, quod iustum fuisset, si incestum ex natura humana infandum commisisset, (6) sed remisisse etiam deceretum iam supplicium (7) & fassum esse, illam iure suo in se esse vsam, vt cogeret, qui filium maritum ipsi non iunxisset ex pacto, se saltem maritum illi praestare. *(8)* Nec hic nec vsquam alias damnari factum Thamaris in sacro Codice (9) sed videri potius ipsam inter

(a) Id inde elucere videtur, quod Studiose astuteque solius Iudae quaesiverit amplexus; quod vidui demum, vt thoro vacuo spes sit succedendi; quod ea ratione, vt, datis pignoribus posset deinde socerum rei patratae convincere; quodsi enim ex sola libidine id factum fuisset, nec vno nec soceri Complexu, sed vagis illius aevi congressibus aliorum videtur vsura fuisse; accedit significatio, illa, quam accusata Iudae fecit, quae nil aliud, nisi ipsum illam maritasse, ostendit; denique ipsa illa pignora annuli, armillae baculique symbola initi coniugii illi aevo forte fuerint.

inter legitimas Iudae vxores eſſe locandam (*a*) (10) eumq; morem eo aevo non fuiſſe inſolitum, cum aliter vix muliercula tanti facinoris cogitationem fuiſſet admiſſura, nec certiſſimam & infamiam & capitalem vindictam ſibi concitatura, idque nulla vrgente neceſſitate, niſi communi more & inſtituto fuiſſet invitata; (11) denique, qui aliter ſentiunt, neceſſario admittere, ex tanto inceſtu prognatum Servatorem, atque ita deteſtando flagitio, ſummam a Deo additam eſſe felicitatem, & maiorem, quam aliis nuptiis gratiam, idque ſtudioſe a Matthaeo indicatum, ne Chriſtiani nominis inimicos deficeret occaſio ex hoc etiam capite cavillandi, & animum in Soſpitatorem optimum Maximum magis incitandi. Quod quomodo cum divina ſanctitate, gloria Servatoris, & ſcopo Matthaei [chriſtianae fidei nova impedimenta certe non creaturi] conciliari queat, diſpiciant, quorum id intereſt.

3. Filiae Lothi aliter patris amplexus horruiſſent.

22. Magis etiam Judaeorum de nuptiis patrum cum filiabus traditionem illuſtrat exemplum Lothi, filiarumque. (*b*) Quas ſane longe veroſimilius eſt, ex antiquo more illis non ignoto in hoc conſilium ex patre concipiendi deveniſſe, quam ſua ſponte animum adieciſſe, ad commiſtionem deteſtandam, & inauditam antea, idque eo ipſo tempore, quo adeo inſigne exemplum divinae vindictae in peccata naturae repugnantia editae, ipſis ob oculos verſabatur. Quod enim vulgo de extrema neceſſitate, leges naturae ſufflaminante, eas philoſophatas eſſe dicitur, id longe ſubtilius vide-

(*a*) Innuit hoc v. 27. qui docet ipſam a Iuda non amplius fuiſſe cognitam, id eſt ipſum iure ſuo non vſum poſtea, eamque non amplius habuiſſe vxoris loco, vt licuiſſet. Accedit quod 1 Chr. II, 3. & Matt. 1, 3. Thamaris, aeque ac Ruthae & Bathſebae fiat mentio tanquam iuſtae vxoris. (*b*) Geneſ. XIX. 30, ſeqq.

videtur, quam pro captu iſtarum virguncularum, quibus cum ſua civitate omne humanum genus deleri perſuaſum erat. Accedit quod nec ipſi Parenti, ebrio quamvis, iactatus naturalis horror, aut pudor aut quaecunque alia inceſtuoſi concubitus nota obſtiterit, quod fieri vix poſſet, maxime in homine pio, vini non inſueto, & continenti, niſi nullae eſſent hae rationes, & ipſe conſenſiſſet. Vt adeo vinum, mea quidem ſententia; id effecerit, vt alacrior & inconſideratior inde factus, facilius captus ſit blanditiis filiarum, neque dubitarit (*a*) multum ſive ante ſive poſtquam ipſae ad illum acceſſiſſent. Plane enim ignarum eum fuiſſe actorum, vix credibile eſt, nec fieri poteſt, vt omnibus Naturae Conſultis in confeſſo eſt. Adde iam, nusquam in divinis paginis reprehendi Lothi filias, nusquam notari; aut Ammonitas, aut Moabitas, ex turpiſſimo (ſi vulgum audias) ortos inceſtu, ſed potius diſerte Deo curae eſſe, ne quid ipſorum ditio detrimenti ab Iſraelitis capiat. (*b*) Quod enim poſtea prohibeantur vnquam Eccleſiae accenſeri (*c*) ea non pœna labis ex origine adhaerentis, ſed inhumanarum in Iſraelitas praetereuntes inſidiarum, & deteſtandae malitiae fuit, vt ipſe Moſes ſignificat.

4. Nusquam in N. aut V. T. damnatur inceſtus, aut natura nefandus.

23. Denique cum in N. fœdere divina veritas omnium clariſſime patefacta ſit, maioris, qùam adhuc haberi ſvevit momenti, illud videtur, quod in omnibus Evangelici luminis monumentis, altum de inceſtu ex natura vetito ſit ſilentium, cum tamen vix vllum extet aliud peccatum quod non alicubi diſerte ſit, damnatum. Maxime autem huc facit 1. caput Epiſtolae ad

5. Maxime ad Rom. I. non oportuiſſet omitti.

(*a*) Nam & hoc ſignificare poteſt phraſis: *non cognovit*, ſive *perpendit, nec cum decumberet filia, nec cum ſurgeret.* (*b*) Deuter. II. 9. (*c*) Deut. XXIII. 4. 5.

ad Romanos, in quo Paullus horrenda illa crimina beſtialitatis Sodomiae; adulterii, & vagarum libidinum vtriusque ſexus recenſet, quibus Deus iuſto iudicio commaculari gentes rationis lumen negligentes & pervertentes paſſus ſit. Vbi ſane inceſtus cum maioribus aut liberis, ſuo merito locum habuiſſet, nec a divino Auctore omiſſus fuiſſet, ſi quid hic definiret illud naturae dictamen ex cuius turpiſſimo neglectu delicta, quae reprehendit Paulus, prodiere. Neque enim eſt, quod propterea putes de his ſilere Apoſtolum, quod Romanis legibus vetitae fuerint hae coniunctiones. Reſpexiſſe enim, non ad ſolos Romanorum mores, ſed alios quoque, Aſiae Africaeque populos indicio eſt, quod v. 23. ait, ipſos divinam Maieſtatem in ſimulacra non hominum modo, ſed quadrupedum, volatilium inſectorumque convertiſſe; qualia ſimulacra Romanis culta non fuiſſe notiſſimum eſt. Itaque vero fit ſimile, non potuiſſe hac in parte, gentes iſtas laeſae Naturalis iuſtitiae accuſari.

Obiectio ex 1 Cor. V. diluitur.

24. Ne quis autem audacius quam verius, me credat, aſſeruiſſe, nihil in Apoſtolicis ſcriptis de inceſtu eſſe conſignatum, neceſſe eſt, vt Corinthium illum a Paullo (a) inauditae ſcortationis damnatum, quem communiter huc referri video, quid peccaverit, ſolicitius interrogemus. Fuit itaque Chriſtianae diſciplinae addictus, Corinthius, qui in media vrbe florentiſſima, (in qua, ſiquid a Chriſtianis peccatum eſſet, ob loci celebritatem nec poterat abſcondi, nec in ſummam novae Religionis ignominiam non cedere) vxorem patris duxit, reclamantibus, non reliquis Chriſtianis, ſed legibus, ſaltem Graecis Romanisque & moribus gentis. In his convenit facile cum omnibus interpretibus,

(a) 1 Cor. V. 1-5.

tibus, nec multum attinet de Pauli Confilio, quo criminofum Satanae tradidit, difputare. Id vero magis ad rem faciet, vtrum crimen fuerit in eo, quod patris duxerit vxorem, an vero, quod vivi etiam, & inviti forte? Mihi certe poftremum longe fit verofimillimum ex verbis Paulli: (*a*) Quod itaque etiam (gravius), „ vobis fcripfi, non quidem (id factum) ob eum qui in-„ iuriam fecit, nec ob illum, cui eft facta, fed vt no-„ ftrum de vobis ftudium vobis coram Deo manife-„ ftiffimum fieret. Obfecro te, quis eft, cui facta eft a Corinthio iniuria? nifi pater fit, vivus adhuc; a quo tanquam gentili, ex abufu libertatis Chriftianae noverca etiam Ecclefiae difciplina imbuta videtur effe abducta. Nulli enim cœtui tantam libertatis in licentiam transducendae promtitudinem infuiffe, quantam in Corinthiis, docet Pauli cura, qua hanc partem Corinthii diligentius quam aliis Ecclefiis inculcare neceffum habuit. Et folet fere in celebrioribus frequentibusq; emporiis, licentiofius agi. Quod fi vero per eum qui *laefus fit*, Ecclefiam Corinthiacam intelligas, nec ex more Apoftolorum eft, in fingulari loqui de omnibus alicuius coetus fidelibus, nec conftabit oppofitio Laefi laedentisque, & iterum Laefi atque Corinthiorum, nec parum minus fimplex atque nativus erit fenfus, Et primis illis Chrifti difcipulis follemne fuiffe, a coniuge Ethnico abduci, avelliq; elucet (*b*) ex 1 Cor. VII. 15. Iam non fine ratione Paulus, poftquam V. capite factum Corinthii acriter damnaffet, mox VI. fectione de

 vfu

(*a*) 2 Cor. VII. 12. (*b*) Adde Iuftin. Martyr. Apol. I. & exemplum Theclae. Primae inter Martyres feminae, alleg. Böhmero de Iure Princip. circa divortia. §. 6. Iudæis certe eiusmodi Divortia folemnia fuere. vid. Efr. X. 3. Forte eiusmodi etiam fit exemplum Luc. VIII. 3.

vſu & abuſu Chriſtianae libertatis, VII. autem de legibus matrimonii agit, cum Corinthius ex abuſu licentiae, quam Chriſtianam dictitabat, matrimonium patris diſtraxiſſet, ſibique novercam devinxiſſet. Vt itaque delictum ſit, non quod novercam duxerit, ſed quod vivo patre, forte invito vel dolo circumvento; quod contra mores legesque patrias; quod itaque Chriſtiani nominis certiſſima inde ſequeretur contumelia (*a*) eoque maior & latius diffundenda, quo illuſtriori loco eſſet peccatum, paucis: quod adulter eſſet, & legi patriae non audiens dicto, & graviſſimum dediſſet ſcandalum. Nam ſi in propinquitate fuiſſet peccatum, quo pacto circumſpectus gentium Doctor, qui de rebus minoris momenti curatiſſime in ipſis his litteris Corinthios docuit, neglexiſſet fontem criminis ſatis aperire? De fide autem coniugali, de patientia coniugis Ethnici, de officio maritali, & de finibus libertatis divinae, ſtatim curatiſſimam expoſitionem ſubiungit, vt in his, certiſſime appareat, ex Pauli mente, quaerundum eſſe offendiculum. At, inquies, cur non addit Paulus, vivere patrem, adeoque adulterium eſſe? Quia ſcilicet Corinthiis ſcribebat, rei geſtae non ignaris, non Romanis aut Phœnicibus. Cur autem addit eſſe Scortationem & Ethnicis etiam ignotam? Quod vocabulo ſcortationis eo aevo omnia carnis libidinisque delicta comprehenderentur, & adulteria ipſa, (vt tum Rom. I. tum paſſim alibi) deinde quod adulteria

(*a*) Videtur ſane ex huiusmodi caſibus forte frequentioribus orta eſſe teterrima illa in primos Chriſtianos calumnia, eos inceſtuoſis nuptiis & vxorum communicatione ſe polluere. Neque enim omnino fictae ſunt Ethnicorum in illos criminationes, ſed ex rebus moribusque optimis, novis tamen aut mediis ſaltem malitioſe detortae.

ria cum noverca omnino Graecis Romanisque erant incognita. Vt itaque ex Corinthio exemplo diſci non poſſit, quod in quaeſtione erat.

Gradus prohibiti itaque I. N. non repugnant.

25. Iam vt latius diffuſa, in nervum contraham, cum nec gentibus antiquis & recentioribus, moratis barbarisque damnata fuerint connubia genitorum cum parentibus, nec ſolida contra illa ratio vlla poſſit produci, nec in ſcripturis veſtigia occurrant, ſed potius & moribus antiquorum, ante legem Moſis, & plerarumque poſtea nationum, & fini Coniugii a natura praeſcripti ſatis apte conveniant, eiusmodi nuptiae non videntur repugnare iuri naturali, nec inceſtae illicitaeve ita eſſe, vt, ſi fiant, ipſa natura nullas, nefandas ſupplicioque & infamia dignas eſſe praecipiat.

Attamen honeſto & decoro atque virtuti.

26. Ne tamen & hoc diſſimulem, fateor omnino has nuptias ex ſolaratione diſſvaderi, tanquam minus honeſtas, decentesque, & a virtutis perfectione alienas, quamvis non vetentur, vt iniuſtae, aut pœnis capitalibus coërceantur. Nam honeſtati omnino repugnat, ſuo exemplo aliorum incendere cupiditates, aut ita libidini indulgere, vt alii inde offendantur, ſibique ipſi poſtea etiam dedecus & infelicior vita contrahatur. Vtrumque valet de Coniugio cum Parentibus, liberisque quo fratres ſororesque, quo vicini, quo omnes eo magis ad domeſticos amores ſolicitantur, quo infrequentius ſit negotium. Infiniti erunt, qui offendentur tali conſortio, litium hinc, inimicitiarum, calumniarum domeſticarum & extranearum fertiliſſima ſeges. Ipſa talia Coniugia parum forent tranquilla, parente coniugis filiae filiive aliquod ſibi dominium forte moroſius vindicante, & exprobrante etiam coniugi, quae puer erraviſſet. Vt nil dicam de metu, iu-

ſto ſane, adulteriorum Corinthiacorum (*a*) & parricidiorum tum in Coniuges, tum in parentes, ſi legibus foret permiſſum patris thorum conſcendere, aut matris loco parenti iungi. Quae & infinita alia ſatis declarant, iuſte prudenterque leges civiles vbique graviſſimis pœnis hos complexus coërcere, &, qui ad illos adiecerit animum, graviſſime ſervire libidini, & honeſti decoris eſſe negligentiſſimum, leviſſimo (vt de adultero queritur filio Iacobus) animo, & ab omni virtute alieno, quae nulla eſt, ſi honeſtatem & decentem vitae rationem abiicias. Quod itaque Ius naturae nec vetat nec mandat, id virtutis doctrina inhoneſtum indecensque & inpotentis animi eſſe docet, Civilia vero inſtituta merito vetant, atque gravibus ſuppliciis coërcent.

Cap. II.

An ſit Ius Divinum poſitivum vniverſale?

I.

[illegible] Progredimur iam ad *Ius divinum poſitivum, vniverſale*, quo omnes teneri volunt homines, etſi alia doceat, quam quae ex ratione queant cognoſci, praecipiatque aut vetet, quae natura media eſſe voluerat, Et in eo definiri docemur vulgo, ne Coniugia contrahantur inter nimis propinquos, cuius legis plenior explicatio, tum ex prima Creatione, tum ex Moſe depromi ſolet.

2. Praeiudicialis autem ſit diſputatio, vtrum ſit eiusmodi *Lex divina ad omnes mortales pertinens, non tamen ex naturali ratione, ſed ex poſitione divinae voluntatis*

(*a*) 1 Cor. V. 1.

luntatis olim patefactae petenda. Affirmant mox ſine vlla haeſitatione, quotquot fere ſuccurrunt Theologi noſtrae Confeſſionis (inter Romanos enim plures dubitavere) & noviſſime Hochſtetterus (*a*) atque Gramlichius (*b*) operoſi eius aſſertores, olim etiam Buddeus; (*c*) E Iureconſultis ſubſcribunt itidem plerique, inter quos reliquis præeunt Grotius (*d*) eiusque Commentatores omnes, Weberus, (*e*) Beierus (*f*) & antehac Thomaſius quoque (*g*) Plures ex tanta turba nominare ſupervacuum ſit. Qui tueantur?

3. Producunt pro ſua ſententia varias divinas Conſtitutiones, quae aut ſuo tempore aut hodienum omnes omnino contineant, quamvis ex naturali iure nequeant derivari. Qualismodi ſunt arbor in Paradiſo vetita, Mariti in vxorem imperium, ſupplicium homicidae: Polygamiae divortiique interdictio, Gradus prohibiti, & *Sabbatum* cum Sacramentis. Quibus ſe aiunt cogi, vt Poſitivam legem ad vniverſos pertinentem ſtabiliant. Litant?

4. Haec tamen non omnibus ſatis fuiſſe ad novam legum ſpeciem effingendam, in propatulo eſt. Ex noſtratibus primus, quod ſciam, diſerte iſtis ſe legibus obiecit Hieronymus Brucknerus (*h*) Iureconſultus Gothanus, & Duci Saxoniae ibidem olim a Iure dicendo; ſecutus eſt, mutata priori ſententia, Legis di- Qui negent

vi-

(*a*) Colleg. Grotian. exerc. III. §. 21. (*b*) Io. Andr. Grammlich. Concion. Aulic. Wurtenb. in Vindiciis legum divinarum poſitivarum. (*c*) Budd. Elem. Philoſ. pract. p. II. c. 2. & 13. (*d*) Grot. de I. B. & P. L. II. c. 5. §. 3 (*e*) Weber. not. ad Pufend de O. H. C. p. m. 47. 48. (*f*) Georg. Beier Poſition Iur. divin c. 8. (*g*) Thomaſ. Iuriſpr. divin. L. I. c. 2. §. 63. (*h*) Bruckner. Deciſion. Iuris Matrimonialis controverſi in Prooem. §. 38. ſeqq.

vinae positivae primus dexterrimusque antea assertor & interpres Christianus Thomasius, (*a*) & post hunc Io. Franc. Buddeus (*b*) Theologus Ienensis celebratissimus, cui etiam cum Thomasio placuit leges positivas strenue olim a se defensas deserere. Alios minoris aut famae aut opinionis adiungere nec vacat, nec his supplementis opus est, cum potius cur, quam quinam ita senserint, sit dispiciendum.

Rationes.

5. Negant enim potuisse Deum Legem aliam, nisi quam natura praescribit, hominibus omnibus servandam ferre, idque tum ex natura divina, tum conditione hominum demonstrant. (1) enim iniurium videtur, in divinam sapientiam tremendum illum abyssum, cum docetur, non potuisse Creatorem, ea omnia, quae vniverso humano generi tenenda esse voluerit, primitiva illa naturae impressa lege complecti, sed opus fuisse, nonnulla, quasi aut praetervisa aut ignorata, postea nova in supplementum lege sancire. (2) Homines lege quae ipsis promulgata non est, non teneri apertum est, Positiva autem promulgari non potuit omnibus hominibus, maxime illa, quae Mosis aevo lata esse perhibetur, itaque non excedit illam gentem, cui fuit promulgata, sed eo ipso, quod positiva & voluntaria sit, vniversalis esse non poterit, cum vniversis de illa constare nulla ratione queat.

(1) Quod divinae perfectioni detrahat hoc, ius quasi subsidiarium.

(2) Promulgatio desit.

Obiectio esse promulgatam.

6. Priusquam autem vlterius procedam, audienda sunt, quae pro promulgatione legis positivae solent interponi. Publicatam scilicet putant per Adamum, Noachum, Mosen, & Christum. Per illos quidem ita, vt orali traditione posteris haec statuta commendarint, seris porro Nepotibus iniungenda. Per Mosen vero

(*a*) Thomas. Fundam. I. N. & G. L. I. c. 5. (*b*) Buddeus Instit. Theol. moral. p. II. c. 1. §. II.

vero conſignatione & expoſitione perſcriptum codicem, ab omnibus facile inquirendum. Per Servatorem denique, annunciatione ſua Apoſtolorumque ubique terrarum divulgatam huius legis vim. Et ita autumant, ſatis humano generi expoſitam fuiſſe divinam hanc normam, &, ſi forte fuit, qui eam poſtea neglexerit, ſua culpa ſuoque id facere damno. Quemadmodum, vt Webero (*a*) placet, in credendis etiam, quae ad ſalutem perpetuam neceſſaria haberi voluit Deus, publicandis non aliter ſe geſſit iuſtiſſimum hoc Numen.

7. Sed quem nobis dabunt vadem, vniverſalia, haec decreta aut Adamo aut Noacho eſſe tradita & iniuncta ſilentibus maxime ſanctioribus litteris? Quae enim de fructu vetito & inſtituto matrimonio afferuntur, & pauciora ſunt, quam vt Legem poſitivam totam *abſolvant*, & infra commodius examinabuntur. Noacho autem, quae de eſu animalium non amplius *viventium*, & de vindicanda caede praecepta ſunt: rurſus & anguſtiora ſunt, quam vt probent totam legem poſitivam ipſi eſſe demandatam, & dubitationi *obnoxia*. Quis enim pro certo affirmet, divinae legi repugnare, aut ſanguine aut parte viventis animalis v. g. lacte veſci? Rabbinorum ſi mihi obiiciant auctoritates, fruſtra ſunt, quos ego parum idoneos habeo teſtes in re tam ſeria & tantae antiquitatis, cum ipſi maximam partem & recentiores ſint & nugaciſſimi. Promulgatio per Moſen, extra controverſiam particularis fuit, ſoliſque Iudaeis facta, quibus ille vnis deſtinatus & locutus fuit, quosque ipſe hac ſua lege omnibus terrarum orbis gentibus praecellere dixit, (*b*) denique quibus ne verbulum quidem de communicanda

(*a*) Weber. not. ad Puſend. l. c. (*b*) Deut. IV. 7. 8.

cum exteris gentibus aut parte ſuae legis aut illa integra praecepit. Chriſtum vero caeleſtem noſtrum Soſpitatorem quomodo huc referant, non perſpicio. Qui non legis aut ferendae aut proferendae, ſed emendandae humanae mentis, redimendique generis Adamici cauſa omnia dixit egitque. Neque enim vsquam quidquam legis aut ſanxit, aut ampliavit, ſed ſuae voci auſcultaturos conſilio atque inſtitutione viam edocuit, qua poſſent & præſentis & futurae vitae miſeriis eluctari. Itaque longe diverſa ratio eſt praeceptorum Chriſti & omnium Credendorum, quam legis alicuius poſitivae. Haec ſi negligatur, infligit pœnas, aſperiores etiam, quam fuiſſent absque hac lege. At haec, cum rationi ſuffulta non ſit, auctoritate promulgantis opus eſt, vt reverentia audientibus incutiatur. Denique, vbi obtemperes, effugies quidem eviresque pœnam, commodi autem nihil contraxeris, nec ad fœlicitatem magni quid iſto ſolo obſequio adieceris. Illa autem, quae Chriſtus docuit, qui aut poſtponit, aut non accipere potuit, manet quidem in ſua miſeria, nova tamen pœna (niſi malitia mentis vindictam Iudicis novam depoſcat) non premitur, qui vero tempeſtive admittit, is non modo ex miſerrimis eluctatur afflictionibus, ſed acquirit ſimul laetiſſimam & hic ſerenitatem mentis, & poſt hanc vitam beatiſſimam felicitatem. Vnde non opus eſt, vt Chriſtianae fidei inſtitutionibus accedat, docentis auctoritas; ſed ſuo ſcopo, ſuaque inſita vi animis ſe inſinuant, ſi modo rite proponantur. Adeoque publica ſollemnique promulgatione opus non magis habent, quam ſalutare quodvis Conſilium (ſi magnis parva licet componere) viri prudentis. Infitiari ergo nemo poterit, Promulgationem tanto legislatore, tam vniverſali lege & toto hu-

humano genere dignam, nondum eſſe demonſtratam, ſine qua lex nulla eſt.

8. Sed redeo in viam (3) Novum itaque contra Leges has divinas poſitivas argumentum ſit, quod etiamſi rite promulgatas eſſe concedas, oblivione tamen vitioque maiorum omnibus, omnino gentibus, Iudaeos & Chriſtianos ſi demas, notitia illarum nulla ſit tradita. Quod facile per ſingulas terrae nationes poſſet oſtendi. Et quî poſſet conſervari illius memoria, cum *traditio oralis* ad quam provocant, adeo fallax incertaque ſit, variisque corruptelis obnoxia. Cum humani animi leges ſcriptas calumnientur, magis id auſuri in non ſcriptam tarditionem. Quae omnia non potuit non praeſentire omniſcium Numen, vt adeo Legem tulerit, neceſſe ſit, mox oblivione delendam, cum non proſpexerit conſervandae eius memoriae. Aut itaque illi, quibus nihil vnquam de illis ſtatutis innotuit, ſolventur pœnis iſti legi ſtatutis, aut illis erunt obnoxii. Iſtud adorandae Numinis Iuſtitiae repugnat, quae nec maiorum peccata in filios vindicare poteſt, (a) nec iudicare homines ex lege illis numquam ne fando quidem accepta. Si autem liberi ſint, qui ignoratam legem violavere, a pœnis, apertiſſimum eſt, ad illos hanc legem non pertinuiſſe atq; ita vniverſalem non debere dici. Mihi certe parum digne de ineffabili divina bonitate videntur ſentire, qui perſuaſi ſunt, aeternis aerumnis Deum animadverſurum in transgreſſores iſtorum praeceptorum, de quibus nihil nec acceperant umquam, nec vel conie&tura ad illa indaganda poterant impelli; cum tamen & Divinae potentiae facillimum fuiſſet, infinitis modis, omnibus illa gentibus ſeculisque patefacere, & ipſe declaret, ſe non exi-

3. Nec ſuffi-ciat Promulgatio ad conſervandam memoriam.

(a) Conf. Ezech. XVIII. tot.

exigere actiones humanas ad leges procul positas aut obscuras, (*a*) sed in propinquo ac summa luce constitutas; denique divina haec providentia in conservandis ad omnem posteritatem (*b*) statutis vni Israelis genti datis adeo sollicita fuerit, futura magis etiam in illis, quaead omnes mortales essent protendendae, si ista Numinis sapientissimi mens fuisset. Insipiens ille inter nos sit Legislator, qui legem ferat, sed ita, vt observaturis non innotescat, iniustus etiam, si puniat, non observantes ignotas Constitutiones. Nec solvit difficultatem, quae de vincibili ignorantia passim praetexuntur. Humana enim est exceptio, quae in foro divino admitti non debet. Et si admittendam esse velis, iubeas, invincibilis omnino erit illorum ignorantia, qui nihil vmquam de lege divina inaudivere, si etiam audiant, credere non potuere, tum ob haustas iam à prima luce opiniones contrarias, tum ob deficientem legis rationem, suspectam nunciantis fidem, admittentium paucitatem, & inter hos etiam infrequentiam observantium, denique ob dubiam Legislatoris auctoritatem, quam gentiles omnes non possunt non in dubium vocare.

4. Scripturam silet.

9. Porro (4) *Leges divinas scriptas* ad Gentes pertinere, nusquam tradidit Creator, non omissurus, si tales essent. Paulus (*c*) quidem legem natura cordibus infixam gentibus tribuit, de revelata altum vbique silentium. Potius contrarium (*d*) ex Mosis Psalmorumque testimonio possit verosimile videri, vbi Gentiles lege divina carere dicuntur, quod cur ad solas caeremoniarum, & aliquas civiles leges restringendum

(*a*) Deut. XXX. 11-14. (*b*) Deut. XXXI. 11. conf. c. VI. 6. seqq. XI. 18. seqq. (*c*) Rom. II. 14. 15. (*d*) Deuter. IV. 7. 8. Psalm. CXLVII, 19. 20.

dum ſit, non video, niſi per circulum argumenteris, excludi hic vniverſales Conſtitutiones, quia illae etiam gentibus datae ſint, de quo tamen eſt diſceptatio. (5) Maxime autem evidens id eſt in Synodo Apoſtolorum Act. XV. in quo cum quaeſtio eſſet, an lege Moſaica vel tota, vel ex parte tenerentur, Ethnici Chriſto fideles ſollemni conſtitutione tota lex illis remiſſa eſt, exceptis 4. rebus vitandis, non ex ſua natura, ſed ne Iudaei offenderentur nimis, quas ipſas etiam poſtea Paulus abolevit. Itaque, cum nihil hic de legibus quibusdam ad omnes pertinentibus, monitum ſit, apparet Spiritum Sanctum optimum legis divinae interpretem has leges ignoraſſe (a) (6) denique, quaecunque ad Poſitiva vniverſalia praecepta referuntur, vel leges non ſunt vel non vniverſales. Quod iam ibo per ſingula demonſtratum.

5. Contrarium definiverit ſynodus Apoſtolica Act. XV.

6. Et ſpecies Legum poſitivarum tales non ſint.

10. Sic Leges eſſe non poſſunt, quae de Mariti in vxorem imperio, de Sabbatho, & Sacramentis ſunt praecepta. In veteri quidem fœdere Legem particularem tuliſſe, vt, qui Iſraelita ſit, & Sabbathum colat, & circumciſione atque Paſſah vtatur, adiecta etiamſi ſecus fiat, pœna, non nego. Sed extra Iudaeos quemquam aut ante Legem latam aut poſt, huius legis auctoritate aut pœna fuiſſe obſtrictum, nec Theologi omnes aſſerunt. Itaque nec marito, qui vxori paret, nec Ethnico Deum quidem, vt Naamann, colenti neque tamen circumciſo nec Paſſah vtenti pœnam ſtatutam fuiſſe apertum eſt. Fatentur id mecum plerique, & exemplis, Abimelechis, Naamanni, Nebucadnezaris, &c. patere poſſit.

Evidentius idem eſt in novo fœdere, in quo ne mandatum quidem Chriſtianae, genti de certa die ce-

(a) Conf. infra cap. 4. §. 9.

lebranda, aut adhibendis ſacramentorum ſymbolis praeſcriptum eſt, nec pœna ſancita non vtentibus. Docet idem de imperio mariti ipſa ſacra pagina, in qua ſi Abigail prudentiſſima fœmina ex hac (quam fingunt) lege excordi Nabali paruiſſet; numquam divinas laudes promeruiſſet. Scilicet laudat divinus Auctor, non quod primaevae legi repugnet, ſed quod nulli. Nec verba Moſis (*a*) id volunt, debere voluntatem vxoris, parere marito tamquam domino, ſed fore vt ob deſiderium mariti, & dolores puerperiorum Maritus illi ſit ſuperior futurus, vt naturale potius malum, quam legitimam pœnam indicet. Neque enim id Deus hic, praecepit, quod, ſi omnes obſequerentur, innumeris familiis exitio foret, in quibus iuſtum eſt ac conveniens, mulierem prudentiorem, viro aut ſtupidiori aut valetudinario aut rerum ſuarum imperito & incurio imperare. Itaque non leges iſtae ſunt, ſed monita paterna, nec omnes obſtringunt, ſed hos modo, quibus e re ſua videri poſſit, his præceptis obtemperare. Denique cum pœna nusquam ſit addita, ſatis patet, leges dici non poſſe, quae in eo a monitis abeunt, quod leges puniant non audientes dicto, monita obſecuturis commoda oſtendant, negligentes vero de naturali malo inde ſecuturo moneant, ſin tale nullum ſubſit, vt ſaepe fit, ſileant.

In ſpecie homicidii pœna capitalis.

11. Eodem loco habendum eſſe, quod de *ſupplicio homicidae* affertur, dudum iam B. Meyfartus (*b*) & Iuſtinianus Clemens (*c*) ſive qui ſub illo nomine latet Io. Chr. Langius Prof. Gieſſenſis nec non Thomaſius (*d*) Heni-

(*a*) Geneſ. III. 16. (*b*) Meyfarths Erinnerung an die Regenten. (*c*) Iuſtiniani Clementis bedencken von Leibes-Straffen 1698. (*d*) Thomaſ. Diſſ. de Iure aggratiandi.

Henichius (*a*) & Hannekenius (*b*) aliique Theologi ac Iurecunsulti infiniti docuere. Nec obscurum est animum advertenti, Deum Noacho hic loqui, non vt Legislatorem, sed vt benevolum patrem, & argumentum sermonis non esse sanctionem pœnis munitam, sed piam pavefacti Noachi consolationem & providentem de conservando humano genere curam, quod ob terrae fertilitatem diluvio corruptam, aetatem breviorem, dissidia filiorum Noachi, & pravitatem Chami, difficilius se diffusurum esse providebat Deus. Itaque, ne in sterili terra, corruptis segetibus arboribusque victus desit, Suadet Deus animalibus vesci, quod ante vetitum fuisse & peccatum habitum apparet. Ne autem ex libertate bestias vivas, vbi vsus suaderet, necandi & Caini exemplo, cui Deus vetuerat pœnam infligi, fratres inter se dissentientes se quoque interficere auderent, vbi forte ex vsu suo putarent futurum esse, non vetat homicidium Deus naturae lege iam vetitum, sed minatur: se vindictam de homicida homine & animali, sumturum, eamque praerogativam se tribuere homini prae brutis, quod solus ille ad divinam imaginem creatus sit. Hanc autem non legem esse novam, sed particularem comminationem pro necessitate temporis nativae legi magis inculcandae destinatam; dudum agnovere Ebraei Doctores, (*c*) & vel inde patet, quod Deus postea vindictam hanc conspicuam in homcidia non exercuerit amplius, vt neminem latere potest ex communi experientia. Vt itaque aut nutare veritatem divinam oporteat (quod absit cogitare)

(*a*) Ioh. Henichii Consilium de dispensatione circa pœnam homicidii. (*b*) Phil. Ludov. Hannekenii Ius gratiae principis Christiani in reos noxae capitalis. (*c*) Selden. I.N.G.L.IV. cap. I.

re) aut omnem ſermonem non eſſe extendendum ad omnia, ſed primum illud aevum, quo neceſſe erat homines denuo, per terras diffundi. Deinde, cum nulli illo tempore eſſent Magiſtratus, quibus legis cura poterat mandari, dubium non eſt, Deum nihil aliud velle: Niſi homicidas ex naturali vindicta ab aliis hominibus iure Goëlitico necatum iri; cum nolit, vt Caino feciſſe conſtabat, amplius impunitatem cuicunque conciliare. Iſtud enim inſtitutum vindicandi, mortem proximimi antiquiſſimum fuiſſe vel ex Caini elucet metu. Adde promiſſionem de vlciſcendis etiam brutis, ſatis oſtendere, conſilium potius hic eſſe de confirmando humano Noachi animo atque conſervando humano genere, tum ob paucitatem facile delendo, quam de lege ferenda, aut pœna legis ſancienda, quae vtraque in beſtias vim non habet. Denique adiuncta de ſanguine non comedendo Praeceptio, vt dudum oſtenſum ab aliis, non fuit lex omnes tangens. Itaque nec, quod ſequitur, eique coniunctum eſt, de homicidii pœna huc pertinebit. Et ne ea te vocula moveat: *qui humanum ſanguinem effuderit* (*a*) *per homines effundetur eius ſanguis*, ſunt alibi ſimiles (*b*) omnino locutiones, in quibus tamen nemo vim legis quaeſierit. Sed, vt nihil dubitemus, ipſe Deus (*c*) Dominis ſeruum caedentibus, ſi aliquot horas ſuperſit caeſus, pœnam etiam civilem remiſit, eoque oſtendit, & haec verba & legem Moſaicam Num. XXXV. 31. 33. particularem fuiſſe, ad tempora accommodatam, ex civili autem cauſa mutatam, & remiſſam. Eſt igitur hic non lex, nec

(*a*) Non addam iam, hanc formulam Moſis illo aevo obſcuram neceſſario fuiſſe, & ſerius forte natum eius vulgatum ſenſum. (*b*) Matth. XXVI. 52. Apoc. XIII. 10. (*c*) Exod. XXI. 21.

nec vniverſalis, ſed amantiſſima promiſſio Noacho peculiariter facta, & communiatio ſingularis, ſi quis eo tempore in legem naturae peccet, non ad alios protendendae.

Nec Arbor vetita.

12. Ineptius adhuc videtur arbor Vetita inter vniverſales Leges referri, quae monitum item paternum videtur Dei, Homines tum levioribus exemplis in fide & obſequio confirmaturi, donec ita firma eſſet illorum in bono voluntas, vt iam Angelorum eſt, itidem libero arbitrio vtentium, & exercitio (ſi coniecturae locus) continuo in amando Deo eique obſequendo perfectorum. Neque enim Imperium dominatoris aut legislatoris ſemper vim atque pœnas oſtendentis, cum illa hominum puritate, atque Creatoris amore convenit, nec ipſa verba aliud oſtendunt: (*a*) *ne edas ex arbore iſta, nec tangas illam, quacunque,, enim die deguſtaveris illam, moriendo morieris.,,* Quae mihi idem ſonant, ac ſi pater puſioni praecipiat, cave ne deguſtes iſtud venenum, quam primum enim illuſt guſtaveris, morieris. Et nec impia, nec abſurda eſt illorum coniectura, qui in ipſa illa arbore naturalem homini inimicam, ſerpenti autem, inde ſe paſcenti, congruam vim infuiſſe perhibent. Accedit ſerpentis cavillatio; *non moriemini*, quae docet Deum praedixiſſe mortem ſecuturam, non comminatum eſſe, a ſe pœnae loco infligendam. Serpentem enim divinae poteſtati obſiſtere non poſſe, dubitare non poterat Adam. Vt itaque non lex Poſitiva, ſed monitum fuerit, lege naturae ſubnixum, ne hoc veneno ſe corrumpat homo. Quemadmodum non lex, ſed admonitio eſt, quando Medicus nociturus herbis abſtinendum eſſe praecipit, ſubnixa definitione illa nativi Iuris, ne ſcientes

(*a*) Gen. II. 16. 17. III. 2. 5.

tes nos destruamus. Quae vulgo tum ex voce Mosis, praecepisse Deum, tum ex Hosea, de Adamo foederis violatore huc adducunt, non stringunt. *Praecipere* enim vel sexcenties etiam de monitis vsurpatur in sacris, & *fœdus* Hoseae, non legem denotat, sed commercium cum Deo promissionibus divinis subnixum, quod Adamus reliquit. Quamvis alii ita interpretentur, vt Adami hic omnino negent fieri mentionem, sed id velle Hoseam: *Eos fœdus deseruisse, vt homines soleant*, sin velis largiri legem fuisse, non tamen propterea vniversalis est, cum, vt bene iam observavit Osiander, (*a*) probabile fieri nulla ratione possit, eam perpetuam futuram, & ad vniversum genus Adamicum fuisse transferendam.

Nec Polygamia.

13. Restant itaque Polygamia, Divortium, & prohibita Coniugia, quae sane omnia legibus contineri fateor, vniversalibus nego. *Polygamiam* & gentibus ex ratione & Iudaeis ex Mosis silentio Patriarcharumque exemplo certis conditionibus fuisse concessam, nemo facile poterit negare. Itaque quae leges de illa sunt, particulares sunt, non certae modo gentis, sed personarum etiam. In novo testamento illicitam esse fateor, non vero ex lege (quam a Christo discipulisve latam esse nemo facile concesserit) sed ex natura puritatis Christianae & praeceptis doctrinae nostrae; Divortia item Iudaeis permissa (*b*) Christianis indigna magis quam illicita, cum iniuria quippe coniugis, levitate animi, & offensione aliorum coniuncta; Vtraq; eiusmodi, vt nemini lege iniuncta sint, nec olim, nec nunc; vt olim lege permissa additis inter Iudaeos certis ritibus (vt forensem agnoscas constitutionem) vt Ethnicis numquam

(*a*) Osiander ad Grot. I. B. & P. L. II. c. 2. §. 2. (*b*) Malach. II. 16. Matth. XIX. 8. Adde Celeb. Böhmeri Diss. de Iure principis circa divortia.

quam exprobrata, vt denique in novo Teſtamento non nova lege humano generi prohibita, ſed Chriſtiana perfectione ſimplicitate fide & continentia indigna iudicata ſint. De Gradibus prohibitis cum tota iſta ſit diſputatio, non probant, eſſe Leges vniverſales, cum modo probetur, ipſis non vniverſos contineri.

14. Cum igitur nec promulgatum ſolemniter ſit IVS, quod divinum poſitivum vniverſale vocant, nec pœnis definitis munitum, nec divina ſapientia provi derit, vt omnibus ſemper hominibus innoteſcat, nec iuſte ab ignaris, legis obſervatio poſtuletur, nec vlla in S. Scriptura ſit ſignificatio illud ad omnes pertinere (*a*) nec etiam adductae eius partes hoc nomen ſuſtineant, planiſſimum eſt, nullum id omnino eſſe, niſi forte Deus voluerit, obſcuram & ignotam eſſe legem, vt eo certius violaretur. Quod cogitatu impium. Quibus difficultatibus occurſurus celebratiſſimus Theologus & Philoſophus, noſtri ſeculi decus Ioh. Fr. Buddeus (*b*) repudiata Iuris poſitivi vniverſalis dictione *Leges hypotheticas* ſubſtituit, quibus teneatur homo certis inſtitutis & beneficiis, ſi illis frui velit & poſſit, praeſcripto hac lege modo vti, cum ipſum Naturalis rationis Ius doceat, debere nos vti inſtitutis ad noſtrum commodum profecturis, modum vero legi hypotheticae relinquat. Quibus etiam hypotheticis Legibus Iura matrimoniorum & prohibitae coniunctionis accenſet.

Nullum itaque Ius poſitivum vniverſale.

Buddeus leges hypotheticas illis ſubſtituit.

15. Nec loci huius eſt, nec opus etiam, tanti viri per omnia pertentare ſententiam. Non poſſum tamen quin conferam, quae noſtrum negotium ex ea re tangunt. Si hypotheticas de Matrimonio cum proximis vitando leges, ad omnes plane homines extendit, vt ex-

Sed manent difficultates eadem.

(*a*) Quae enim de pœnis gentibus ob illas inflictis huc transferuntur, infra examinabo. (*b*) Budd. Inſtit. Theol. Moral. p. II. c. I. §. 11. 12.

extendit auctor, eaedem, quae in vniverſali poſitiva lege ſunt, manent difficultates. Vnde enim innotuerint hae leges gentilibus? Vbi illis iniunctae, propoſitae, promulgatae, explicatae traditaeve? Neque enim beneficium eſſe matrimonium cognoſcere potuerunt Ethnici, quibus inſtinctus naturalis audit, nec ex eius natura potuere colligere, neceſſariam eſſe ad illud rite ineudum certam legem divinam, nec coniicere etiam vbi gentium talis ſit inveſtiganda; nec vsquam occurrit in N. T. mandatum, quo Chriſtianis tota ea ſanctio inculcatur, tamquam neceſſaria. Reliqua iam repetere dubia, cum vix dum ſint expoſita, non lubet. Iudaeis itaque ſolis Inſtituta haec de nuptiis hypothetica a Moſe tradita deſtinataque ſunt, & Chriſtianis deinde etiam nonnulla eiusdem generis a Chriſto, Paulo, Petroque commendata, ſed quae iterum Chriſtianum nomen non excedunt.

16. Itaque fateor, donec meliora edoceant ſecus ſentientes, vniverſales poſitivas leges a Deo eſſe conditas, vix vero videri affine, neque tolli ſcrupulos, ſi hypotheticas eas appelles, & vniverſis tamen obſervandas eſſe tradas. Quod vt porro in illa re, in qua noſter ſermo verſatur, confirmem, diſpiciam primo: an *Inſtitutio primi Matrimonii*, deinde an *leges de Coniugiis Moſaicae* vniverſalem normam cunctis praeſcribant. His enim partibus omnia Iura divina hypothetica aut Poſitiva in rebus matrimonialibus contineri, vulgatiſſima eſt ſententia.

Cap. III.

An Inſtitutio primi Matrimonii legis vim habere poſſit?

I.

Inſtitutioni vim legis.

Cum interrogamus, vbinam de *Ineundis coniugiis* divi-

divina lex expressa sit, primo loco ad exemplum primi Coniugii ab ipso Deo inter Adamum Evamque instituti provocant. Quod legis vim habere volunt, & eiusmodi exemplar esse, a quo qui discedat, violatae divinae legis reus sit.

2. Habent huius suae sententiae Auctores, non modo antiquam Ebraeorum Synagogam, (a) vno ore huc provocantem, sed ipsum etiam divinissimum Redemptorem (b) qui de Divortio interrogatus, mox adversarios huc remiserit, inde edocendos, quae inter Scholam Hillelianam & Schammacaanam de Divortiorum legitimis causis erant controversa. *Quinam tribuant?*

3. Atque ne quid desit primae huic legi, ita eam explicant, vt non modo *Polygamias* & *Divortia* vetari putent eo, quod duo non plures in vnam Carnem coniungendi dicantur, & vna caro non possit nec debeat rursus in duas dividi; sed coniugia cum Parentibus etiam prohiberi credant, verbis: *Vir relinquat Patrem Matremque*, id est, illorum consortia maritalia fugiat; cum fratribus vero sororibus ac cognatis affinibusque proximis ne copuletur homo, cautum praecepto, *vt vir mulieri adglutinetur, & coëant duo in vnam carnem*, cognatorum enim eandem esse carnem, cum qua non opus demum sit coalescere; Denique bruta contra naturam peccata, proscribi mandato, vt cum muliere, non fera aut bruto, aut masculo coniunctio fiat. *Quomodo explicent?*

4. Ingeniose ista dici, suaque specie adhuc plerisque placuisse, dubitare nemo potest. Vereor autem, vt solide iacta sint totius sententiae fundamenta. Legis *Sed Christi mens fuit alia.*

(a) Vid. Selden. I. N. & G. L. V. c. 2. videntur tamen ista sententia Christi aevo fuisse ignota, cum ad illam Pharisaei planè obmutuerint. (b) Matth. XIX. 4.

gis enim vim habere Inſtitutionem, non video quid evincat. Chriſti enim ſermo non id vult, ſed potius illud vnum oſtendit, divortiorum libertatem ob quamcunque cauſam a Moſe demum introductam fuiſſe ad cavenda maiora mala a pertinaciſſimis Iudaeis metuenda, ſi inviti vxoribus adſtringerentur; Cum Creator divortia numquam mandaverit, nec ſimplices ante Moſen, mores illa licentia facile ſint vſi. Hinc natam eam eſſe ex pravitate hominum, adeoque reſtringendam. Itaque (1) cum ſcopum Creatoris & exemplum antiquiſſimum adducit, non ſtatim legem eſſe docet, (2) nec aliud volunt ipſius verba; quam cum nos ſubinde dicimus: *olim non erat ſic*, provocantes non ad legem, ſed morem antiquum deinde depravatum aut abrogatum. (3) Inprimis cum Chriſtus non iuris legisque, ſed virtutis eſſet Doctor, adeoque hic etiam reſponderit, virtuti, decoro, honeſtoque & antiquiſſimo tum Creantis conſilio, tum Patriarcharum inſtitutis adverſari frequentia divortia. Legitimae enim prudentiae inter Iudaeos repugnare non poterat, iſta divertendi conſuetudo, cum Ius naturae nil hic definiat, Poſitiva autem Lex, ſi qua eſſet, omnino ſublata eſſet, permiſſione divina, ampliſſima ſane, vt vel Malachias (*a*) docet, nec ita, vt multis ex Schammacana diſciplina videbatur, reſtricta. Sic nec hic, nec umquam, interrogatus etiam, de Iure, reſpondit Servator, quid Iuris, ſed quid pietatis eſſet. Vt ex accuſata adultera (*b*) & quaeſtione Phariſaeorum de vectigali Caeſari pendendo conſtare poteſt, item ex negata de familia herciscunda commonefactione (*c*)

5. Quam-

(*a*) Malach. II. 16. conf. Deut. XXI. 14. XXIV. 1. (*b*) Ioh. IIX. 4. ſeqq. (*c*) Matth. XXII. 17. ſeqq. 21. (*d*) Luc. XII. 13.

5. Quamvis autem maxime controverſum ſit, fuiſſe Chriſti mentem eam, vt Initia matrimonii divina, tanquam legem commendet, quod vnum communis ſententiae fundamentum apud omnes videtur, ſunt tamen alia etiam, quae huic opinioni vehementer obſtant. I. Ipſa inſtitutionis Verba, breviora & obſcuriora ſunt, quam vt ex illis poſſit, totum negotium confici. Caliginoſae certe ſunt illae conſecutiones, quas noſtri ex verbis inſtitutionis deducunt, vt nemo niſi iam aliunde edoctus, in illas potuiſſet incidere. Quis autem Legem a Deo ſapientiſſimo obſcuram eſſe conditam dicat? quae noſtris pedibus lucerna eſſe deberet. (2) Nec ſunt quidem Dei omnia, quae ad inſtitutionem referuntur effata. Nam illa: *Virum deſertis parentibus, cum vxore in vnum coïturum*, Adami aut Moſis potius ſunt verba non Creatoris. Quae Chriſtus (*a*) dein repetiit, ſuaque fecit. Adamum autem legem ferre non potuiſſe certum eſt, nec minus probabile ſi Deus hic legem ſancire voluiſſet, ipſum Adamo interprete aut vate (vt multis viſum) non fuiſſe vſurum; cui enim vates eſſet, aliis hominibus nondum natis, aut cur hoc præceptum vnum ipſi inſpiraſſet Deus, qui ipſi reliqua ore verboque omnia tradiderat. Sed ita fere vſu venit, vt ad fictiones primas firmandas. Secundis ſubinde & tertiis opus ſit fictionibus. (3) Quodſi omnino Inſtitutum eſſe a Deo Coniugium contendas, erunt animantium quoque & piſcium coniugia, eaque rite a Deo ſancita. Cum eadem ipſis a Deo dicta narrantur, quae homini? Cum vero

Cur Inſtitutio neque at legis loco eſſe.

(*a*) Matth. XIX. 5. Marc. X. 7. Vbi verba ipſius Chriſti ſunt, illa autem: *& dixit:* Evangeliſtae, narrantis, haec Servatorem addidiſſe. Alias diſcreparet a Moſe, ſi hic Numini tribuerentur, quae Moſes ſuo aut Adami nomine narrat.

vero bestiis omnes denegent matrimonia, apertum est, nec homini aliud a Deo hic concessum, quam facultatem generandi seque propagandi. (4) Adde ipsum Paulum (*a*) ostendere, non hic agere verba Adami, de Lege futurorum connubiorum divina, sed de coniunctionis cum foemina naturali fine, scilicet copula carnis, cum scortatorem cum meretrice etiam conglutinari & vnam carnem fieri doceat. Qua alias locutione Mosis per miram detorsionem ad sola legitima matrimonia translata & polygamiam, & divortia & incestus tamquam armis Delphicis conantur profligare. (5) Quod si lex sit, sequitur non aliter instituenda esse, matrimonia, quam more Adami, id est a nudis (ne forte lateat corporis vitium) sub dio, tacente muliere, nemine praesente &c. nam in institutionum ritibus nil mutandum esse, qui hanc sententiam tuentur, affirmant omnes. (6) Eademque ratione necesse esse, vt quisque semper proximam cognatam, quae caro carnis eius sit, ducat. Ita enim primum institutum fuit connubium, vt Vxor ex Adami Corpore crearetur, non ex terra, & Adamus Causam arctae Coniunctionis eam afferret, quod esset Caro ex sua Carne. Qua ratione omnis ista disputatio extra oleas vagaretur. (7) Nec liceret ad altera vota transire prima Coniuge extincta, cum Institutionis Lex virum cum vna tantum coniungi praecipiat, de successione autem sileat, imo qui binas habuerit Coniuges (sive simul, sive vnam post alteram) dici non possit cum vna modo fuisse coniunctus; denique ex praecepto Theologorum, in institutionibus, divinis positivis nihil legitimum sit, quod non expresse praecipiatur, quantum ad speciem negotii & circumstantias pertineat.

6. Haec

(*a*) 1 Cor. VI. 16.

6. Hæc ſiquis cum illis, quæ ſuperius de vniverſis Legibus poſitivis produxi, coniungat, nullam eſſe hujus legis Promulgationem ſolemnem, nullam de conſervanda eius notitia tanta lege, tanto tamque & bono & ſapienti legislatore dignam providentiam, nullam illius tamquam legis in omni S. Codice luculentam commemorationem denique nullam cauſam, cur Deus legi Naturae vix homini inditae hanc de novo adiiceret, & quae plura ſuperius recenſui, is facile mecum agnoſcet, non Deo auctore (qui nihil de lege Adamo ſignificavit iam ferenda aut lata obſervanda) ſed ex pravo Verborum Chriſti intellectu, omnem hanc opinionem profluxiſſe.

7. Id vnum ſubiungam adhuc, cum vehementer rem noſtram confirmet; non videri illos Deum non levitatis & inconſtantiae accuſare, qui in ea ſunt opinione, Chriſtum hic Iudaeos a Divortiis permiſſis ad legem Inſtitutionis alia omnia praecipientem remittere, adeoque Moſaicam Conceſſionem antiquare. Neceſſe enim eſt, vt ſtatuant, Deum initio indidiſſe homini Legem naturae, deinde ſurrogaſſe illi ſanctionem Inſtitutionis matrimonii, multos naturae legis hiatus ſupplentem, mox tamen contra vtramque permiſiſſe Coniugia filiorum Adae, Abrahami, Iacobi, &c. quin & Polygamias & divortia, quae etiam poſtea peculiari Conſtitutione ob malitiam Iudaeorum vulgo & promiſcue non conceſſerit modo, ſed certis etiam ritibus, iuribus & actionibus munierit & probarit, tandem divinae legis expoſitorem Chriſtum docuiſſe, hanc conceſſionem primaevae legi repugnare, adeoque abrogandam eſſe, & tollenda divortia, etſi cauſa legis Moſaicae, ſcilicet pertinacia hominum & malitia, illo aevo non fuerit minor. Iſta ſi de hominibus dicerent, qui

In dignum eſſet Deo, toties leges mutaſſe.

non omnibus horis ſapiunt, ferri poſſent, tantam autem varietatem nulla nec levi eius cauſa oſtenſa, in rebus totum humanum genus complectentibus divinae bonitati, ſapientiae & perfectioni, qui tribuunt, vix ſatis pie & vt decet, de tanti numinis Maieſtate ſentiunt.

Cap. IV.

De Legibus Levitici XIIX.

I.

Haec Lex vulgo audit vniverſalis.

Poſtquam de Primaeva Inſtitutione vidimus, iam quoque de illa lege matrimoniorum vitandorum, quae per Moſen tradita fuit, eſt diſpiciendum. Hanc plerique omnes vtramque in noſtra controverſia abſolvere paginam, divinaque auctoritate ad omnes omnino mortales extenſa definire dictitant, quae Iure naturali ambigua ſint relicta. Quae quo merito tradantur, paucis iam lubet perpendere.

An?

2. Qui itaque eam legem ad vniverſos mortales trahunt, nituntur (1) Turba conſentientium per omnia ſecula, Iudaeorum, Theologorum Chriſtianorum, Iureconſultorum & Legislatorum etiam, qui fere omnes ad legem per Moſen Levit. XIIX. datam provocant. (2) Quod Deus rationem legis addat vniverſalem: Ego Dominus Deus Tuus v. 4, 5. 6. dicat: quicunque homo, haec facturus ſit exacte, illum feliciter victurum. (4) Quod v. 6. vniverſalis ſit formula Ebraea איש איש, Vir, Vir, id eſt, quicunque libet homo. Quod de omni mortali genere dici ſoleat. (5) Quod v. 22. 23. 24. 27. 30. it. Levit. XX. 12. 13. 14. illa, quibus hic interdicitur, abominanda & vitioſa dicantur, quae ratio ſit vniverſalis, (6) Quod v, 27, 28, etiam Ethnici ob

ob violatas has leges pœna narrentur affecti, id quod iniustum foret, nisi vniversale ius fuisset. (7) Quod v.29. omnnes animae ex sua gente extirpandae sint, quae has leges neglexerint. (8) Quod, contra hanc legem fratriam aut patrui vxorem ducenti, pœna constituatur non civilis, sed divina, vt sine prole decedat Levit. XX. 20. 22.

3. Sunt autem ista argumenta numero quam pondere maiora. Nam (1) vbi de iure divino maxime disputatur, nil valet numerus aut censentium aut errantium; lege divina perspicua & evidenti hic opus est. Nec tamen defuerunt vmquam tum inter Romanae tum nostrae Ecclesiae Doctores, qui mecum legem hanc ad solos Iudaeos pertinere putent, inter quos honoris causa nomino Lutherum, (*a*) Brentium (*b*) Melanchtonem, Bucerum (*c*) Sarcerium (*d*) Conringium, (*e*) Brucknerum, Thomasium. Quorum testimonia partim iam adducta sunt, partim inferius adlegabuntur. (2) Quod Deum se Dominum vocet divinus Legislator, id non tam docet, cum omnium mortalium sit Deus, omnes hac lege teneri, sed ostendit potius, solos eum spectare Israelitas, quibus vnis hic loquitur, quibus nomine peculiari *Domini* voluit innotescere, quibusque praefuit vt Reipublicae moderator. Vnde etiam ista formula legibus particularibus forensibus vbique andiungitur, (*f*) quae tamen ridicule ad *Respondetur his rationibus.*

 omnes

(*a*) Lutheri Epistola apud Bruckn. Decis. Iur. Matrim. p. 320. (*b*) Brentius in epistola apud eundem p. 288. (*c*) Vterque in causa Philippi Hassi ita sensit, de quo infra. (*d*) Er. Sarcerius Theol. Lipsiens. Corpor. Iuris Matrimon. (1558. fol. edit.) p. V. pag. 263. (*e*) Conring. Responso Iuridico apud Bruckner. l. c. p. 292. (*f*) Vid. Levit. XIX. 25. 28. 30. 32. XXI. 12. XXII. 2. 8. 30. XXIII. 22.

omnes gentes extenderentur. (3) Promiſſio vitae felicis, quam homo, qui facturus ſit haec ſtatuta, ſit adepturus, non excedit gentem Iudaeam cui vni Lex ferebatur, nec ipſa in ſe verba, nec illorum repetitiones vsquam nos cogunt, ad omnes Adami poſteros haec extendere. Etſi omnino producenda eſſe iubeas, ſunt vniverſalis quaedam inculcatio de ſervandis omnibus divinis ſanctionibus naturalibus atque poſt latis, quibus omnibus cum parendum ſit, nec haec ſtatuta ab Ebræis erant negligenda. (4) Dictio Ebræa, *quilibetcunque* nequaquam ſolis legibus vniverſalibus iungitur, aut ad omnes reſpicit, ſed in particularibus (*a*) etiam adeſt, & quemvis non hominum ſed Iudaeorum denotat, vt exemplis patet. (5) *Abominanda* dicuntur, quaecunque ex lege Moſis vitanda & fugienda erant Iudaeis, non autem quae ex ratione communi vel Voluntate divina vniverſali per omnes gentes deteſtanda eſſent. Niſi forte caro ſacrificii poſt tertium diem (*b*) comeſta, certarum avium piſciumque, & ſuillae vſus (*c*) ſacrificium vitioſi animalis (*d*) veſtitus virilis in muliere, aut muliebris in viro (*e*) propterea cum omnibus erunt peccaminoſa, quod in ſacris abominabilia Iudaeis eſſe iubeantur. (6) Gentes autem Cananiticas ob ſingula hoc capite interdicta ab ipſis patrata deletas eſſe, nusquam dicitur, ſed omnia iſta eis fuiſſe frequentiſſima, inter quae non omnia, ſed poſtrema omnino deteſtanda ſunt contra Ius naturae facinora. Neque enim ob ſingula potuiſſe in eos animadverti, apertum eſt, quod inter illos conſtare non potuerit, pleraque hic recenſita eſſe vitioſa & damnata Ab. 17.

autem

(*a*) Vid. Numer. IX 10. Levit. XV. 2. XXII. 4. (*b*) Lev. VII. 18. 21. (*c*) Levitic. XI. 10. 20. Eſai. LXV. 4. LXVI. 17. (*d*) Deut. XVII. 1. (*e*) Deut. XXII. 5.

autem poſitione quae ſequuntur, ea eiusmodi eſſe fateor, vt propter illa gentes iuſte puniri potuerint, vnde non fruſtra a veteribus Ebraei codicis collectoribus in peculiarem cum v. 24 28. ſectionem praemiſſo ſigno ס coniuncta videntur, ad quae poſtrema vitia ſola exciſionem Cananitarum pertinere recte iam obſervavit Grotius (*a*) ſed de his forte ſequenti capite commodius dicam. (7) Quod autem v. 29. dicatur, qui has abominationes fecerint, ex ſua gente eſſe extirpandos, id nequaquam legem denotat vniverſalem, fortaſſe nequidem ſemper pœnam capitalem, ſed deminutionem aliquam Capitis, aut privationem Iurium familiae atque civitatis. Alius enim ſi ſenſus foret, iniuſte Deus (*b*) omnes infantes non circumciſos ex gente ſua extirpandos iuſſiſſet, cum ea culpa non infantis ſit, qui hinc pœnam iure non poteſt luere. Ex quo etiam conſpicuum fit, ſi vel maxime Capitalis ea pœna eſſe debeat, adiungi tamen ſubinde legibus particularibus, qualis omnino erat de Circumciſione ſanctio, vt & de vitando in Paſchali celebritate pane fermentato (*c*) de non imitando oleo aut ſuffitu ſacro (*d*) de feriis & quiete Sabbathi (*e*) de non comedenda carne ſacrificii, (*f*) aut ſanguine, (*g*) non mactanda hoſtia (*h*) niſi ante tabernaculum ſacrum (*i*) de non profananda oblatione, de non negligendo Paſſah (*k*) nec omittenda immundi expiatione (*l*) quibus omnibus & aliis etiam adiuncta eſt, comminatio, qui ſecus fecerit, extirpandum eſſe ex ſua gente. Itaque iſta formula non deſi-

(*a*) Grot. I. B. & P. L. II. c. 5. n. 14. §. 3. (*b*) Geneſ. XVII. 14. (*c*) Exod. XII. 15. 19. (*d*) Exod. XXX. 33. 38. (*e*) Exod. XXXI. 14. (*f*) Levit. VII. 20. 21. 25. (*g*) Lev. VII. 27. XVII. 10. (*h*) Levit. XVII. 3. 4. 9. (*i*) Levit. XXII. 3. (*k*) Numer. IX. 13. (*l*) Numer. XIX. 13. 20.

gnat, eiusmodi ſanctiones toti humano generi latas eſſe, ſed Iudaeis, ex quorum civitate ſecus faciens ſit eiiciendus. Deniq; (8) quod ad fratriam aut patrui vxorem ducens, ſine prole moriturus dicatur, ea male pœna divina vniverſalis eſſe creditur, ſed Auguſtino (*a*) iam agnoſcente, mere civilis fuit, qua conſtitutum, vt eiusmodi liberi illegitimi ſint, non vero ſancitum a Deo, vt talia Coniugia perpetuo ſterilia eſſent. Neq; enim, ſi iſta divina mens eſſet, reſponderet veritas divinae comminationi, cum & olim & nunc, non infœcundæ ſint iſtae nuptiae. Aut itaque eſt concedendum, eſſe legem civilem forenſem, pœna civili munitam, aut etiam fides & Conſtantia divini verbi (ſi id vniverſis haec praecipiat) in dubium vocanda, quo quid impium & abſurdum magis dici poſſit, non video.

Eſt potius Lex Iudaeis ſolis particularis.

4. Quare, niſi me omnia fallunt, vana futilique ſubnixa eſt argumentatione illorum perſuaſio, qui Legem iſtam, de qua quaerimus, non ſolis Iudaeis, datam, ſed omnibus ad vnum mortalibus propoſitam eſſe clamant. Sed vt minus dubitemus, legem hanc eſſe civilem, ſolis Iudaeis obſervandam, noſtrisque legibus non praeponendam, (vti conceptis verbis ante me dudum ſenſere beatiſſima & ſumma ingenia Lutherus, Brentius, atque Conringius (*b*) ſuppetant & alia argumenta, ſi recte iudico, non contemnenda. (1) Pugnare videtur, cum prudentia Legislatoris quod paullo ante lege pœnali prohibueris, mox alia rurſus iubere. Id ſi in homine negari non poteſt, minus etiam conveniet cum divina, id eſt ſumma, ſapientia. Atqui

Quod ſtatim ſit mutata.

Lev.

(*a*) Auguſtin. Quaeſtion. ſup. Levitic. qu. 77. Conſentit Arabus Fuldenſis Gloſſa Ordinar. ad Levitic. XX. 10. Iac. Bonfrer. & Corn. a Lapide ad h.l. Gerhard Loc. de Coniug. n. 269.
(*b*) Loca iam §. 3. initio citavi.

Lev. XIIX. v. 16. & c. XX. 21. gravissime interdicitur nuptiis cum vxore fratris, quas tamen postea non ita multo, non toleravit Deus aut permisit, sed mandavit, iussitque, denunciata etiam non parituro nota infamiae & omnis successionis spe sublata (a) Itane mutabilis erit Dei voluntas, vt factum mox infectum, iussa iniussa esse constituat? Accedit ratio abrogationis, quod fratri improli mortuo alia ratione nomen nullum in sua gente sit superfuturum, quae omnino civilis est. Cum itaque civili ratione Prohibitio ante lata mutata sit, necesse est, eam non moralem fuisse, sed itidem civilem. Neque desiit in iure leviratus moralis illa caussa (si doctores audias) vniversalis sanctionis vetantis, scilicet affinitas. Num enim propterea levir fratriae minus erit affinis, aut vxor minus dicenda caro mariti, quod forte ex horum complexibus liberi extiterint *nulli*? cum tamen, qui cum meretrice consuevit libidine fere sterili, tamen vna cum illa caro sit, definiente D. Paulo. Sed ita res in vado est, si vtramque legem dicas esse politicam; & non iustitiam naturalem aut moralem, sed reipublicae Iudaicae tranquillitatem spectare, quae ferre non potuerit, vt liceat vxores fratris aut vi astuve ab ipso avellere, aut mortuo ipso ducere, adeoque haereditates Natorum ipsius invadere; & contra providendum esse suaserit, ne vidua, fratre sine prole decedente expellatur ab haeredibus vacua & inops, sed lege hac de Leviratu ipsius victui atque honori consulatur. De quo in secutura dicam Sectione.

Idque ex civili ratione.

5. Facit (2) huc consideratio interdicti cum menstruata commercii, (b) quam sanctionem rationi subnixam esse, posteriori capite probabo. Hanc quamvis legi-

(a) Deut. XXV. 5. &c. Ruth. IV. 1. Matth XXII. 24. (b) Lev. XIIX. v. 19. Ezech. XXII. 10.

legibus positivis, quas vniversales dicunt, intersertam esse pateat, & ipsi olim Iudaei tanti fecerunt, vt patrem etiam, sicut nonnulli narrant, cui mutilus forte fœtus nasceretur, quod cum immunda vxore eum rem habuisse opinarentur, lapidatione plectendum censuerint (P. Aerodius Rer. Iudicatarum fol. 86. cit. Thomas. Iuripr, div. L. III. c. 3. §. 75. not. l.) nostri tamen Theologi & Iureconsulti communiter aut neglexere omnino, aut plane particularem esse declaravere, subnixam (vt volunt) sola illa caeremoniali causa, ne quam ab vxore immunda labem sciens contrahat maritus. Sic enim non modo Seldenus in vtroque, tam de Naturae ac Gentium Iure, quam de vxore Ebraea huius praecepti nullam fecit mentionem, cuius exemplum, plerique Iuris naturalis & divini, sequuntur expositores; Sed multi illud expressis etiam verbis particulare esse cum Bruckner (*a*) definiunt. Vt ne addam, plurimis forte ipsa re non displiciturum, quod doctrina non damnetur, publica. Neque enim de his moneri solent a Sacrorum ministris, qui degunt in Coniugiis. Cum itaque hanc prohibitionem naturalibus causis suffultam communissime ad nostra officia referre non videatur necesse, evidens est, nec reliqua praecepta, quibus communis naturae ratio non subest, ad omnes homines necessario esse transferenda.

3. Coniugia vetita non tamen irrita sint

6. Transeo iam (3) ad illud momentum, quod multa hac lege interdicta sint coniugia, quae tamen, vbi iam coiverint, non dirimantur, sed tolerentur certa ratione. Iam si vniverso humano nomini illa lex foret data, & homines illa tenerentur tamquam homines, non tamquam cives alicuius Reipublicae, non haberet locum illa remissio legis, quae civilibus tantum

(*a*) Bruckner. Decis. Matrim. Procem. §. 62. p. m. 24.

tum negotiis convenit. Neque enim, quod homines facere vetuit Deus, vlli licere poteſt mortali, nec ſi factum ſit, inprimis Deo non conſentiente & diſpenſante, ratum atque legitimum fieri poteſt. Civili autem legi quae adverſantur, illa ſubinde non dirimit lex, ſed irrogata civili pœna temeritatem violatoris vlciſcitur. Iam vero Viduam fratris aut patrui ducere vetuit Lex connubialis Lev. XIIX. Idem tamen ſi fiat, Lex non dirimendum conſortium iubet, Levit. XX. v. 20. 21. Sed civilem modo pænam irrogat, vt ſine legitima prole ſint. Itaque cum tolerantia legis civilis admittatur, & pœna dictetur civica, non facile lex ipſa moralis eſſe poſſit.

7. Ad haec (4) obſcurior eſt lex, quam vt ad omnes in illa ferenda reſpexiſſe videatur Deus. Nolo iam recenſere motas de finibus legis lites, vtrum illi cognati, qui nominantur in lege, an illi gradus propinquitatum qui recenſitis aequiparantur, interdicti ſint. Nec addam, hodiernum ambiguum multis videri, vtrum v. 18. quaevis bigamia, an vero Coniugium cum binis ſimul ſororibus vetitum ſit. Sed illud vnum ſatis declarat, quam caliginoſa ſit lex, quod nec Iudaeis nec noſtrae religionis hominibus conveniat, vtrum propinquitates affinitatesque etiam per ſtupra & Commercia non maritalia contrahantur, & an frater etiam ſit, ſororve, qui quæve furtive fuit ſuſcepta. Rectiſſime itaq; in eadem quaeſtione, ita ſentit Theologus pietatis & „conſciantiae ſtudioſiſſimus, Spenerus! (*a*) Vt prohibi„tioni divinae vix amplius eadem animi plerophoria „inſiſtam, vix aliud me validius commovit argumen„tum, quam quod omnium ſimpliciſſimum eſt, a bo„nitate & ſapientia legislatoris, quae vix ferant, vt

4. Lex aliis, quam illius temporis Iudaeis obſcura ſit.

(*a*) Spener. Reſponſ. Theol. Latin. p. II. p. 99.

„eiusmodi leges conſcientiam obligantes aliis quam „clariſſimis verbis exprimantur, quibus rationabile „nullum ſubeſſe queat dubium. Iſta vero Legislatio, ſi civilem ſolisque Iudaeis propriam dicas, illis mox ex ratione morum ſtatusque ſui, & explicatione Moſis atque Iudicum, ab illo conſtitutorum dubia eſſe non potuit.

5. Quod reges Iſraelis diſpenſaverint a lege.

8. Subiungo (5) quod inter Iudaeos ipſos ſummis reipublicae arbitris Regibusque in hanc legem, poſtquam respublica ex Theocratia in Regnum erat mutata, aliqua poteſtas explicandi atq; diſpenſandi fuerit relicta. Sic Herodes (vt poſtea iterum monebo) fratris duxit filiam, ſuamque viciſſim fratri Pherotæ elocavit, quin fratriam etiam ſibi copulavit, quae tamen ex fratre filiam habebat, nil monentibus Iudaeorum Sacerdotibus, nec eius dona & oblationes reſpuentibus, quod vix factum fuiſſet, niſi eam poteſtatem Principibus ſuis concedi moribus receptis credidiſſent. Nec eſt, quod metum obſtitiſſe putes, cum ea gens ita patrii moris avitaeque Religionis fuerit tenax, vt miraculo fuerit proximum, ſi nemo fuiſſet, qui vel leviter Regem monere fuiſſet auſus. Iam vero Herodes & Orthodoxus fuit habitus, & Iudaicae Eccleſiae etiam inſignis tutor atq; ornator. Quin Davidis iam aevo ea videtur invaluiſſe opinio, vt Regi liceat, ſi neceſſe videatur, remittere harum Legum vim? Quid enim aliud voluit Thamaris ad fratrem Amnonem vocula: (a) *appella Regem de me, qui Tibi me non negabit*? aut ſi his verbis putas eam protelare & eludere voluiſſe laſciva fratris poſtulata, cur ſtuprata ab eo diſcedere noluit, cur expulſa hanc maiorem ignominiam dicit, quod ducere nollet, quam illam, quod vim intuliſſet! Niſi ſpem con-

(a) 2 Sam. XIII.

coniugii cum fratre beneficio patris Regis obtinendi habuiſſet. Cur David Rex iuſtiſſimus atque pientiſſimus ex Amnone pœnas non ſumſit, aut ipſe ob neglectum regium officium a Vatibus ſuis monitus non eſt? cur ſororem conſolaturus Abſalon iubet illam minus aegreferre, cum frater ſit vitiator? niſi conſtitiſſet, tales coniunctiones Iudaeis ex ſua natura non illicitas fuiſſe habitas, ſed accedente Magiſtratus ſummi conniventia potuiſſe iniri. Nec ad rem facit, quod Alphonſus Toſtatus Abulenſis (*a*) ad explicandam rem affert, Thamarem fuiſſe Amnonis ſororē quidem naturalem, non autem civilem, vtpote ex Maachal Regis Geſſuri filia adhuc gentili prognatam, (*b*) quales Iſraelitico more pro ſororibus fratribusve habiti non ſint. Eo enim ipſo, ſi admittatur, patet, explicationem legis, eamq; ſequentes gentis mores omnino reſpexiſſe non ad conſanguinitatem ſed civitatem, adeoque ad particularem huius gentis rationem hanc legem pertinuiſſe.

9. Si cui autem iſta probatio longius videtur petita, illi (6) tandem praecipue obiicio definitionem primi & Apoſtolici illius Concilii Hieroſolymitani, in quo cum diſceptatio eſſet, quid ex Lege Moſaica Gentibus obſervandum ſit, nihil tamen de lege hac vetitorum connubiorum fuit aut repetitum aut conſtitutum. Mota erat Antiochiae magna animorum commotione controverſia, vtrum Lex Moſaica Ethnicis, qui Chriſto nomen dediſſent, eſſet obſervatu neceſſaria. Haec vt maiori auctoritate dirimeretur, Paulus & Barnabas Antiochia Hieroſolymas mittuntur, & rem in Synodo Apoſtolorum atque fidelis cœtus proponunt. Tandem poſt varias diſputationes Petro auctore conſtitui-

Quod in Concilio Hieroſolymitano iſtius legis vis a gentilibus omnino fuit ſecluſa Act. XV.

H 2

(*a*) Alphonſus Toſtatus ad 2 Reg. XIII. qu. 4. (*b*) Vid. 2 Sam. III. 3.

tuitur, nihil omnino legis Moſaicae ad Gentiles converſos pertinere; additur tamen Iacobo ſuadente; vt ab immolatis Idolo, ſanguine, ſuffocatis & ſcortatione abſtineant, ne offenderentur Iudaei, quibus lege Moſaica, quovis Sabbatho praelegenda haec tamquam abominanda prohibeantur. Fit itaque Senatusconſultum, quo diſertis verbis iſta ſola ex omni lege Maſaica commendantur, nec vt divina praecepta, ſed vt eiusmodi res, quibus qui abſtineat, bene faciat, quae tamen ſi metus non ſit, alios ea re offendi, pie honeſteque ſatis (de ſcortatione ſi excipias) poſſint adhiberi, vnde Paulus etiam ab his legibus poſtea Conrinthios Galatasque immunes eſſe iuſſit. Iam vero nulla his fit mentio legum de nuptiis prohibitis atque inceſtuoſis, quarum inculcatio, ſi Deus omnibus eam ſanctionem tuliſſet, maxime fuiſſet neceſſaria, cum ex ſolo naturae lumine nil hic poſſit perſpici vt itaque gentiles non tangere pateat, cuius in decreto Synodali iſto nulla fit mentio. Niſi forte hic per *ſcortationem* intelligi debeat. Coniunctio vitioſa,(vt mihi quidem videtur, & mori gentis convenit) cum vera ſcortatoria libido iure naturae iam prohibita, & lege Romana etiam turpis ſit, adeoque opus non fuerit, ex Moſaica lege eius prohibitionem inculcare. Sed ita quoque apertiſſimum eſt, hanc conventionem a Moſe interdictam gentilibus per Apoſtolicam conſtitutionem diſſuaderi, vt Idolothyta, ſanguis & ſuffocata, vitandam, non quod in ſe voluntati divinae repugnet, ſed quod Iudaeis deteſtabilis videatur, adeoque offendat animos illorum & in fratres ex gentilibus converſos incitet. Vnde etiam cum omni Moſaica lege a Petro erat ſupervacua & ad Ethnicos non pertinere iudicata, a Iacobo autem patriorum morum (vt ex Epiſtola

ad

ad Galatas patet) tenaciori post cum reliquis illis, a quibus maxime abhorrebant Iudaei proposita & commendata, non quod sanctitati vitae & amori atque obsequio, quod Deo debemus, repugnet, sed quod cum amore proximi illo tempore non constaret, quo necesse erat, vt gentes non modo ad iussa divina, sed ad opiniones etiam Iudaeorum ex parte se accommodarent, vt eo felicius antiquissimum illud inter Gentes & Israëlitas Schisma & odium possit deleri.

Iudaeos itaque non excedit haec Sanctio.

10. His omnibus rite perpensis si iungas, quae cap. II. contra omnes omnino Leges divinas positivas vniversales attuli, vix crediderim fore vt haesites amplius mecum consentire, eam legem non posse esse moralem & vniversalem, quae vniversis numquam fuit promulgata, nec si fuisset, ad posteros conservata, nec a Deo in veteri Testamento umquam ad gentes applicata, nec repetita in N. T. aut confirmata vsquam, sed potius cum omni lege Mosaica abrogata & sublata; quae etiam, si ad omnes pertineat, obscura est, & nulla ratione subnixa, in Republica vero Iudaica vtilissima, evidensque fuit, quae denique exceptiones, & dispensationes ex civilibus causis admisit, quin nisi fallor, potestati Magistratus fuit subiecta, saltem vt quae contra illam facta essent tolerari & rata esse potuerint. Sed eiusmodi legem omnino civilem & Iudaicae genti peculiarem fuisse, reliquas autem nationes non magis attingere, quamquae Iudaeis in reliquis rebus forensibus, publicis privatisque fuere praecepta.

Occurritur Obiectioni.

I. Ex Mose.

11. Putant tamen non pauci, non posse has leges de vitandis certarum nuptiis non ad omnes transire, cum Deut. XXVII. 20. 22. 23. peculiariter maledicatur, his qui ad matrem, novercam, Sororem, nurumque libidinose accedant, non minus quam reliquis ibi da-

mnatis & ex natura ſua abominandis criminibus, ſodomiae, parricidii, iniuſtitiae, termini moti, Imaginum cultus &c. Quibus proinde aequiparari debeat inceſtus. Sed res ipſa docet iſta ſolis Iudaeis dici, non cuivis mortali, cum obſervatio totius legis Moſaicae eadem maledictione inculcetur, quae certe numus omne hominum genus continuit. Ad haec enumerata vitia non maledicta haec meruere, quod graviſſima eſſent, & in ſe maxime horrenda ſed quod clandeſtina, vt adeo Deus hac ratione Iudaeos ab occultis etiam delictis voluerit retrahere. Vnde vanum eſt, inceſtum hic ob gravitatem peccati locum inveniſſe. Tandem ſermo eſt, de libidine abſcondita, non vero de ſollemnibus nuptiis; quales libidinoſas & adulterinas conſuetudines cum quavis, maxime autem matre, nuru ſorore, iure naturae etiam damnatiſſimas eſſe nemo negat.

2. Ex Prophetis. 12. Nec denique me movet, quod nonnulli obiiciunt, eſſe vel inde planum, Leges de quibus loquuti ſumus, Levit. XIIX morales eſſe, & omnibus obſervandas, quod a Prophetis illarum transgreſſio ſummis Iſraelitarum peccatis accenſeatur; Sic Amos (a) inter praecipua Iudaeorum crimina, quorum veniam Deus nolit concedere, enumerare Conſuetudinem patris ac filii cum eadem muliere; Ezechielem (b) quoque Inceſtum cum matre, nuru, ſororeque & libidinis cum menſtruata graviſſimis delictis adulterii, parricidiique aequiparare. Verum enim vero (1) Iudaeos his legibus fuiſſe obſtrictos apertum eſt, quas cum ſcientes graviſſime violarent & ludibrio adeo haberent ipſum Legislatorem, non poterat non Deus in illos animadvertere. De Gentilibus autem Iudaicis ritibus non ini-

(a) Amos II. 6. (b) Ezech. XXII. 10. XIIX. 6.

initiatis nemo tale quid dici ostenderit. (2) Consuetudines ab Amoso taxatas, vt & stupra cum matre patreve, aut cum sorore, nuruque eo ipso quod libidines sint, non coniugia, etiam in gentibus possent damnari, & pœnam incurrere, neque enim simplex scortatio libidinosa, nedum quae cum tanta aliorum iniuria, & scandalo, vt crimina ista Iudaeorum, coniuncta sit, innata lege licita est, sed turpis & vetita. Itaque omnia illa iustissime, a Deo damnata sunt in Iudaeis, tum quod summam ostenderent libidinem, tum quod praetractariam legis divinae ipsis propositae violationem continerent. (3) Quod denique de Commercio cum muliere impuritate sua laborante afferunt, id, cum fœdissimam ostendat voluptatem secuturo capite ratione etiam duce damnatum & peccaminosum esse, ibi demonstratum. Neque enim his diutius immorari, nec exemplum Rubenis aut alia eius furfuris si qua sunt, examinare iam opus videtur, cum ea omnia adulterium contineant, non incestum solum, eoque potissimum nomine vt detestanda notentur.

Cap. V.

Interpretatio legum Lev. XIIX. a Mose latarum.

I.

Quamvis luculenter me putem ostendisse, quae XVIII Levit. capite a Mose exposita sunt, nequaquam omnibus terrarum orbis incolis vt normam regulamque perpetuam esse praescripta, sed solis Iudaeis praecepta, & petita ex commodo & quiete civitatis & familiarum, non vero ex vniversali aliqua morum aut humanae naturae ratione. Vt tamen omni ex parte huic disputationi occurram, ipsas huius *Leges hae particulares sunt.*

capi-

capitis leges recognoſcam, vt oſtendam, ex quibus fontibus ſingula ſint hauſta, & quidnam maxime velint, vetentue.

v. 1. 2. Reipublicae iudaicae. 2. Loquitur itaque Deus per Moſen aeternae laudis ob fidem prudentiamque divinam Legislatorem Iſraëlitis, quorum reipublicae tum ipſe Deus Regis principisque nomine praeerat, itinera, bella, praelia, leges, pœnas, ſacra, tributa, munera publica, & omnem publicae rei curam ſuo nutu & iuſſu adminiſtrans, & eapropter peculiare ſibi apud illos nomen IEHOVAH tribuerat. Vt itaque ſolis Iudaeis haec dicta eſſe pateat, cum alii genti nulli nec Moſes fuerit Legislator, nec Rex ipſe Deus, nec notum divinum iſtud ſummae maieſtatis nomen, quo Deus ſemper inter Iſraelitas ſuam appellavit & ipſis in memoriam revocavit auctoritatem.

v. 3. 4. 5. Alienae a moribus. 3. Initio autem ſtatim monet, iubetque ne ſequantur Iſraëlitae aut Exempla aut Mores nec Aegyptiorum, nec Cananaeorum, ſed ſua potius ſtatuta, quae ipſis iam ſanciat, obſervent, quae obſervaturi feliciter ſint victuri & tranquillle. Vbi vt reliqua habeamus explicatiora, attendendum eſt ad mores Cananaeorum & Aegyptiorum, quibus Iudaeis interdicitur, & deinde ad rationes, cur alia iſtis praecipiantur, quam inter has gentes moris fuerat. Diſtinguuntur enim inſtituta Aegyptiorum a Cananaeis, (quamvis vterque populus eſſet ex Chami, poſteris) non modo v. 3. ſed magis etiam v. 27. vbi Cananaeos ob ſua crimina deletos eſſe inculcat, Aegyptia autem Inſtituta tanta pœna digna fuiſſe non memorantur.

Aegyptiorum. 4. Aegyptii itaque nuptias cum ſororibus & proximis cognatis celebraſſe conſtat tum antiquiſſimo exemplo Iſidis, quae cum fratre eodem partu edito Oſi-

Osiride iam intra materna viscera in tenebris corpus miscuerat (*a*) & postea ipsius in Regno, thoro, ac immortali gloria socia & Coniux fuit, (*b*) sed recentiori etiam Cleopatrae, cum fratre Dionysio coniugio iunctae. Vt itaque in ista gente tales Conglutinationes omni aevo licitae & frequentes fuerint. (*c*) Duxisse autem ipsos Matres suas aut filias neptesque, nusquam inveni, quamvis, qui id neget, ex antiquitate occurrat nemo. *Cananaeos* vero non modo copulasse se omnibus promiscue cognatis, matribus, sororibus, posteris ex ipso, hoc capite elucet, sed indulsisse, etiam pessimis & detestandis libidinibus adulteriis, vitiisque belluinis, tum indidem discimus, tum constat exemplo Sodomaeorum, vicinarumque civitatum, quae ex eadem gente cum essent, iamdudum ante Secula eiusmodi fœditatibus suum acceleraverant excidium. Aegyptiis autem ista Crimina nusquam nec adscribuntur, nec vel suspicione in illos possunt concipi, quibus Respublica erat concinnis legibus prudentissime ad Iura nativa & communem vsum constituta. Hinc obscurum non est, cur, cum vtriusque gentis mores ex suo populo eliminet Dominus, solis tamen Cananaeis vt olim Sodomaeis pœna divina sit immissa, non item Aegyptiis. Cum horum mores Iure naturae non essent peccaminosi, vt illorum.

Et Cananaeorum.

5. Hinc quilibet facile perspicit, alias hic contineri leges naturali ratione subnixas, alias solo vsu & commodo publicae privataeque tranquillitatis fultas. Illas Cananaeorum criminibus opponi, has institutis Aegyptiorum, forte totius etiam eo aevo orbis terrarum. Cananaeos enim Aegyptiosque solos adducit

Et partim civili prudentiae, partim legi naturae innixae.

(*a*) Plutarchus de Iside & Osiride. (*b*) Idem & Diodorus Siculus L. 1. c. 27. (*c*) Diodor. Sicul. l. c.

Legislator, quod inter hos bina, & quod excurrit, secula habitassent Iudaei, illis autem & finitimi fuissent, dum in Aegypto hospitarentur, & iam illorum sedes essent occupaturi, vnde necesse fuit, vt horum populorum mores haberent perspectissimos, & illis etiam vulgo vterentur, nisi obstaret Legis prohibitio. Haec autem bina legum genera, non confundit Moses, sed caute distinguit, ita vt praemittat quae ratione sola vetita non fuerant, vsque ad v, 17. Deinde coniungat, quae ipsa, inter gentes etiam, naturali lege damnantur, & quae propterea divinam animadversionem in Cananaeos concitaverant.

Forte nec simul latae.

6. Nec vacat iam, nec possum hic longius scrutari, vtrum omnes illae sanctiones, quae in isto de nuptiis vetitis Pandecto Mosaico occurrunt, vno tempore constitutae sint, an vero per varias occasiones placuerit divino Legislatori novas subinde pro re nata adiicere constitutiones. Posset tamen hoc postremum alicui non absurdum videri, cum in aliis legibus non omnia, simul definita, sed subinde poscente ita rerum varietate, novae subrogationes factae sint, (a) & nova etiam cap. XX. lege poenae interdictis istius capitis legantur definitae. Et veterum Iudaeorum (sive Masoritas facias auctores, sive alios antiquiores) distinctiones singulis a 6. ad 17. versibus adiectae alias inusitatae ostendant, latere hic causas distinguendi, quae quidni in diverso ferendarũ harum legum tempore colloces? Illud saltem certissimum est, hos Iudaeorum Doctores antiquis traditionibus presse inhaerentes omnes a 17 ad finem vsque leges coniungendas & a reliquis separandas esse censuisse. His etiam applicuisse poenas Cananaeis irrogatas, Iudaeis vero denunciatas; non item re-

A Masorethis certe distinctae.

(a) v. g. Lev. X. 9. 10. XVI. 1.

reliquis illis legibus; cum posito ad initium v. 17. signo ס reliqua omnia ad finem capitis eidem sectioni incluserint, seiunctis, quae praemittuntur.

Ad v. 17. valet ratio civilis.

7. Itaque cum a v. 17. vsque naturalis subsit prohibitio, quae praecedunt, cum innata lege vetita non sint, cur in Iudaeis damnarit Legislator, ex civili ratione erit definiendum. Populi enim salutem atque tranquillitatem tanquam summam legem quilibet sibi legislator proponit. Iam moribus Israelitarum solemnis *Polygamia* facillime turbis atque certaminibus domesticis & collisionibus familiarum locum concedebat, accedente adhuc divortiorum licentia, & peculiari gentis pertinacia atque asperitate, quam ipse Christus, pientissimus atque divinissimus sospitator, inter causas legis Mosaicae recenset. (*a*) Docuerant porro frequentissima inter ipsos Iudaeos Aegyptiosq; procul dubio exempla, quanta incommoda afferant licitae familiarum consanguineorumque v. g. fratrum sororum, nepotum coniunctiones; ne itaque inter ipsos tales coniuges dissidia ex contemtu orirentur, connubia dirimerentur artibus necessariorum, filiorum, fratrum, nepotum (quidvis ausurorum vt ipsi venustiori forte aut ditiori paullo coniuge potiantur, & hinc iurgia, simultates, divortiique causas interserentium) neve spes futuri matrimonii libidines domesticas & in se detestandas, & in dedecus ac exitium familiarum evadentes augeret & frequentiores redderet, omnibus hic artibus & cupiditatibus, quantum civili lege potest provideri, obex fuit oppositus, negata sublataque potestate nimis propinquas sibi matrimonio adiungendi.

Polygamiae respectus.

v. 6. Hinc omni propinqua cur interdictum.

8. Itaque primo in genere vetat Deus, Iudaeorum quemquam proximam consanguinitate ducere

(*a*) Matth. XIX. 8.

vxorem, ne ex ſpe contrahendi olim matrimonii concederent feminae proximis ſuis libidinoſa commercia, & ita mores populi effœminati fierent, libidines vagae, & familiarum primo contumeliae, mox odia inter conſanguineos orirentur funeſta, quale dirum vindictae genus ex ſimili cauſa olim ob vitiatam Dinam ſororem fratres eius in amiciſſimam ante Civitatem Sichemiticam exercuerant. (*a*) Huc enim praecipue reſpexiſſe iſtam legem, vel inde patet, quod C. XX. 17. ſola laſciva tegendorum expoſitio & oſtentatio inter fratres ac ſorores ob metuendas in tanta familiaritate libidines morte ſit punita.

v. 7. 8. Cur Matre & noverca?

9. Et cum prudentiae ſit, omnes caſus, qui lege contineri debent, prout occurrunt, perſpicue definire, exſequitur Deus per omnes partes hanc legem, & initio vetat nuptias cum matre aut noverca, addita etiam deinde (*b*) pœna capitali; tum ne adulteriis Rubenicis ex familiari converſatione foret locus, nec filius novercam formoſam deperiens eam aſtu a patre deducat, ſibique iungat, quod in tanta polygamiae & divortiorum libertate facile potuiſſet fieri, tum etiam ne mater vel noverca filio iuncta iurgiis turbisque familiaribus anſam praebeat, ſi ob auctoritatem maternam aſperius filio marito porro quoque velit imperare, aut exprobret ipſi, quae iuvenis peccaſſet, aut ſaltem non tanta proſequatur reverentia atque amore, quem puerum adhuc ſaepe caſtigaſſet. Accedente tandem, vbi fratres ſororesque adeſſent, cum illis ſimultate, quod mater vnum reliquis praetulſiſſet, & ex iſto exemplo ſollicitatione aliorum ad ſimiles cum matribus novercisque maritationes, vnde frequentiſſima & certiſſima reipublicae diſturbatio eſſet exoritura.

10. Se-

(*a*) Geneſ. XXXIV. 26. (*b*) Levit. XX. 11.

10. Sequitur interdictio, ne quis sororem ducat vel germanam, vel consanguineam, vel vterinam, nequidem ex Iudaea ante nuptias susceptam a patre (ita enim videtur v. 11. definitum, quamvis qui de Comprivigna, si intercedat novus partus, non ducenda locum intelligunt eandem possint admittere rationem) vt intercepta spe coniunctionis maritalis inter tam familiariter viventes, & simul educatos obviam eatur infinitis libidinibus & familiarum probris (a) si legitimi tales possent coniungi, pertimescendis. Vbi tamen natas ex muliere Ethnica non pro sororibus inter Iudaeos fuisse habitas, supra monui. Neque absonum sit, siquis ea ratione simul a Deo cautum esse credat, ne inter fratres de sorore forte elegantiori orirentur lites, vti Iudaei fabulantur, Abelem ex eiusmodi causa a Caine fuisse interfectum, quod formosiorem sororem ipsi destinatam esse aegre ferret. Contra natas ex fratre aut sorore ducere non vetuit lex, quod illae cum avunculo Patruove non in iisdem aedibus nec familiariter versarentur, vt cum fratribus solent sorores, nec metus hic sit turbidi & instabilis coniugii, vt in coniunctione cum Matertera & Amita mox occurret; quod reverentia patruo avunculoque debita cum obsequio vxoris in maritum feliciter satis consistat.

v. 9. 11. Cur sorore. *Non autem filia fratris aut sororis?*

11. *Neptes* ex filio aut filia eadem ex causa vetitae sunt, ex qua filiae, ne cupiditatibus pravis ansa detur. De *Avia* autem aut *Pronepti* nihil hic expressum, quod ipsa intercedente aetate prohiberentur coniunctiones tam inaequales, in quibus legitimus scopus subesse nullus poterat.

v. 10. Cur nepte? Non Avia aut pronepte?

12. *Materteris*, *Amitisque* iungi prohibitum non minus erat, ne Coniugia inde invalescerent infausta at

v. 12. 13. Cur Matertera atque Amita?

(a) Conf. Levit. XX. 17.

atque instabilia. Cum eiusmodi vxores marito non modo annosiores, sed etiam, ob familiaritatem cum illo puero adhuc, auctoritatem, quam eiusmodi agnatis fere tribuimus, & prudentiae opinionem mulierculis fere, vbi paulo longius meminisse possunt, familiarem, imperiosae asperiores atque putidulae sint, Maritis vero liberum esset vxorem minus gratis moribus aut superducta alia negligere aut plane ab illa divertere. Itaque consultissimum fuit, tales copulationes omnino e Republica proscribere. Cur vero de Avunculi Patruique cum nepte ex frate aut sorore matrimonio idem non sit cautum, superius iam expositum est.

v. 14. 15. 16. Cui Vxore patrui, fratris, filii?

13. *Vxorem patrui, fratrisque*, item *nurum* sibi domum ducere etiam vetitum est, ex communi ratione, ne, si id liceret, dolis artibusque malis dissidia divortiique causas inter Coniuges sereret, qui se in matrimonio successurum poterat sperare, aut suspicionibus inter necessarios locus esset, aut haereditates confunderentur, aut omnino frater fratri insidias strueret. Unde etiam postmodum peculiaris pœna scripta est fratriam ducturo (*a*) vel patrui vxorem, vt nulli eius sint liberi legitimo censu, nisi improles decessisset frater, tum enim, ne vidua deserta bonisque exuta male haberetur aut plane eiiceretur, frater sive proximus agnatus, si haereditatem vellet adire, viduam etiam quamvis deformem ducere lege iubebatur sin detrectaret, & haereditatis spe excludendus & ignominia etiam notandus. (*b*) Vt appareat omnibus istis sanctionibus civilem prudentiam inesse.

Fratre autem sine prole decedente cur coactus heres viduam ducere?

A. v. 17. sunt praecepta iuris naturae.

14. Huc vsque cum ex humanae tranquillitatis & commodi rei familiaris atque publice omnia sint du-

(*a*) Levit. XX. 20. 21. (*b*) Deut. XXV. 5. Ruth. IV. 11.

ducta, iam a v. 17. ea ſequuntur quae non modo civilem non admittunt rationem, & pugnant cum vtilitate, ſed quae naturali etiam damnantur ratione. Sic vitioſae & deteſtabiles ſunt nuptiae, quae cum matre & filia ſimul ineuntur, cum nulla alia cauſa quam fœdiſſima libido, nunquam non inhoneſta & damnanda, ſubeſſe poſſit atque ita nefandae voluptates impune graſſari poſſent, ſi liceret matri filias ſuperinducere. Etſi enim ſola ratio non poſſit, cognoſcere, illicita eſſe matrimonia cum binis ſimul uxoribus inita, nec filias ducere ex illius praeſcripto illicitum ſit, id tamen facile perſpicit, iniuſtum fore eodem thoro filiam cum matre complecti, mox cum iunior fere & voluptatibus opportunior ſit, matri ſeneſcenti praeferendam, cui filia reverentiam potius & obſequium praebeat. Turpe etiam libidinoſum atque deteſtandum facinus, cum natis vxoris ſuae conſveſcere, & dein adulteriis iſtis, coniugii honeſtum nomen obtendere. Quibus rationibus accedit, quod perpetua futura ſint inter matrem filiamque diſſidia, cum iſta a communi marito matri ſit aequata, illa autem maternam in filiam auctoritatem & poteſtatem non ſit depoſitura & aliis etiam aut filiabus aut parentibus eiusmodi exemplo cogitatio ſit ſubnaſcitura, idem tentandi. Notatur proinde & prima in hoc capite haec Coniunctio nefaſta dicitur, & poſtea nova lege rogo adiudicati ſunt, (*a*) qui contra illam peccaſſent, in quo iſta polygamia Sodomiticae beſtialitati aequiparatur.

v. 17. Ne matrem & filiam ſimul habeas.

16. Quod ſequitur de fugiendo congreſſu cum femina muliebri laborante infirmitate, id plerique ita negligunt, quamvis reliqua omnia ad totum humanum genus perperam referant, vt ſolis Iudaeis manda-

v. 19. Nec menſtruata vteris.

(*a*) Lev. XX. 14.

datum esse credant, quibus ne tangere quidem immunditie sua laborantem mulierem (*a*) licuit. Mihi autem contra eiusmodi ista videtur sanctio, vt naturali ratione eam observare teneamur. Rem enim habere cum muliere aut inepta ad sobolem generandam, aut ex qua vitiosa & veletudinaria sit metuenda proles, pugnat cum legitimo scopo, quem habere oportet, qui liberis operam dat. Vtrumque hic iusta suspicione esse verendum, ex Medicis praeceptis non est obscurum. Accedit mulieris immundities, & solemnis illis eo tempore a Venere alienatio. Quibus omnibus postpositis, quem non pudet libidines suas exercere, nae is naturali iure spurcissimus sit scortator, etiamsi cum vxore agat, cum non prolis cupiditate, nec extinguendae libidinis, sed eius explendae, & ipso usu magis incendendae causa faciat. Hinc nova postea lege (*b*) Deus, Viro & mulieri eivsmodi tempore se iungentibus poenam indixit, vt deleantur ex sua gente, & per Ezechielem (*c*) etiam summis criminibus, natura sua detestaudis annummeravit commercia cum menstruata.

v. 18. Ne inuitae vxori soror superducatur

15. Nec minus naturali Iure vetitum est, quod v. 18. prohibet, vxori suae reluctanti, aut omnino vt eam vras (vtrumque enim ebraea significat dictio) sororem super inducere, cum id aperte pugnet cum fide atque amore coniugali, & sorores capitalibus odiis inter se committat. Inter Sorores enim coniugio eidem copulatas quantae possint exoriri disceptationes & offensiones vel Iacobi exemplo poterat constare, & fuisse, cum Polygamia esset permissa, sollemne, vxori forte morosiori aliam priori inimicam superaddere, dubitare nemo potest,

(*a*) Levit. XV. 19. (*b*) Levit. XX. 18. (*c*) Ezech. XVIII. 6. XXII. 10.

poteſt. (*a*) Itaque praeter ſcopum videtur omnis illa diſputatio, vtrum de quavis vxore, an de ſola ſorore ſit ſermo, vtrum mortua prima ſorore liceat alteram ducere &c. Cum tota lex polygamiam reſpiciat, qua ſublata ceſſat etiam legis uſus. Quod inferius (*b*) variis auctoritatibus exemplisque firmabitur.

17. Tandem *Adulteria*, & Peccata Sodomitica quævis proſcribuntur divina lege, atque damnantur, addito etiam cap. XX. graviſſimo ſupplicio. Quae cum naturae humanae iuſtaeque rationi quam maxime adverſari nemo neget, non opus eſt, his multum inhaerere. *v. 20. 23. Ne adulter, bestialitate &c. te polluas.*

18. Subiungitur tandem divina in Iſraëlitas comminatio, fore, ſi his deteſtandis ſceleribus ſe polluant, vt terra eiiciantur, & ex gente ſua extirpentur, cum ob eiusmodi facinora Cananaei graviſſimam divinam vindictam incurrerint. Quod qui ad omnes has leges transferunt, vim inferunt ſenſui legislatoris, & iuſtitiae divinae, quae non poteſt punire in gentibus, in quo neſciverant ſe peccaviſſe, nec potuiſſet & Aegiptiis parcere, quibus, vt ſupra eſt monitum, pleraque ea fuere ſolemnia, quae, primis ad v. 17. legibus ſunt prohibita. Patet itaque, nihil hic dici deteſtandum, niſi proxima illa a. v. 17. naturae lege damnata delicta, quae (ni fallor) eam quoque ob rationem vna ſectione a praecedentibus ſeiuncta per Auctores vetuſtiſſimae Codicis diſtinctionis comprehenſa ſunt. *v. 24. ad fin. His ſubiungitur Comminatio poenae.*

Cap. VI.

Oſtendit conſenſum Eccleſiae Chriſtianae & Doctorum, per caſus omnes lineae collateralis.

I.

Cum ea ſit humani ingenii perverſitas, vt vbi rationibus *Auctoritates cur neceſſariae ſint?*

(*a*) adde Genes. XXXI. 50. 1 Samuel. I. 6. (*b*) Cap. VI. § 12.

bus res conficienda est, auctoritates poscat, contra, vbi ad vnam auctoritatem esset respiciendum, ratiunculas fere circumspiciat; facile praevideo, multis ideo displicituram meam sententiam, quod novam putent, atque magni momenti nominisq; auctoritatibus contrariam. His vt etiam consulam, enitar iam per singula ostendere, fuisse iam dudum, qui nuptias proximorum non omnino damnandas habuerint, sed tolerandas saltem, Christianos Doctores magni nominis, quin integras gentes Christi cultu institutas. Cum vero Coniugia cum matribus aut filiabus nemo facile hodie sit tentaturus, de his quoq; non ero iam sollicitus. In reliquis moneo, quae adducuntur auctoritates, non mihi rationum loco esse, sed ne inauditi quid videar protulisse, non ignarus longe numerosiora pro adversaria sententia posse reperiri exempla & testimonia cuiuscunque ævi, cum primis quoque Christianis (vt de primis hominibus ait Augustinus) (*a*) factum licitum etiam horreretur, propter vicinitatem illiciti.

Consensus in nuptiis cum Noverca.

2. *Novercam* ducere superius dixi Iure naturali divinoque non esse prohibitum, nec in eo peccasse Corinthium illum, sed adulterum potius fuisse, & civilis legis violatorem turpissimum. Iam Scotis quoque diu postquam Christo nomen dedissent, tales nuptias fuisse in vsu, nec ante, Sec. XI. abrogatas esse docet Seldenus. (*b*)

3. *Sororis* amorem coniugalem, siquidem iam in verum coniugium coierint, & ipsi coniuges putent tranquilla mente posse se invicem porro vti, non, vt in estas oportet nuptias, dissolvendum esse, sed tolerandum & permittendum dudum censuere. Witebergenses,

(*a*) Augustin. de Civit. Dei. L. XV. c. 16. (*b*) Selden. I. N. & G. L. V. c. 11. p. 634.

ses, (*a*) Bechstadius, (*b*) Ioh. Musaeus, (*c*) Carpzovius, (*d*) illustris Lynckerus, (*e*) & forte etiam Grotius. (*f*)

4, *Sororis filiam* vxorem ducere non improbavit modo, sed suasit etiam Marquardo Schuldorpio inter primos Slesvici Reformatæ doctrinae praecones insigni viro, vir beatissimus Lutherus, & peculiari epistola (*g*) defendit, subnixus exemplo Abrahae, & quod lex Mosaica civilis esset, iusto autem lex nulla data sit, qui ex sola fidei πληροφορία omnia debeat metiri. In pari causa Iacobo Bonero consultus respondit, (*h*) eam causam ad Theologos non pertinere, sed ad Iurisperitos, se vero, si privatim, vt soleat a confitente minister, consulatur, non disuasurum, publice vero numquam suasurum, ne legis civilis praevaricationi & licentiae morum patrocinetur. Nec alia alibi Lutheri mens fuit; (*i*) Brentius (*k*) quoque summus Theologus, haec coniugia Iudaeis olim licita Caesareis modo legibus ait vetari. Eadem fuit sen- Exempla.

(*a*) Apud Dedekenn. Consil. & Resp. Vol. III. Lib. 3. Sect. I. h. t. 2. n. 2. p. 265. (*b*) Bechstad. Collect. Iur. Connubial. p. I. c. XI. n. 18. (*c*) Musaeus de Coniug. Thes. 119. (*d*) Carpz. Iurispr. Consistor. L. II. tit. V. Def. 83. n. 13. & tit. VI. def. 99. Idem Iurispr. Forens. p. IV. Constit. XXIII. def. 11. (*e*) Lyncker. ae Struv. Syntagma Iur. Cicil. tit de R. N. §. 38. id: ad Locameri instit. L. I. tit. 10. de nupt. (*f*) Grot. de I. B. & P. L. II. c. 5. §. 10. 12. (*g*) Vid. Marqu. Sculdorps Schriven an de Glovigen der Stadt Kyl. 4. 1528. It. Grond ende Orsacken/ worup Marq. Schuldorp heft sien r Süster Dochter tor Ehe genomen/ benennet dorch Ehren Nicol. Ambsdorff Licentiaten/ unde Ehren Mart. Luttherum Doctorn in der hilligen Schrift. 4 1529. cui vtrique scripto Lutheri inserta epistola. (*h*) Qua in causa Lutheri responsum ex Archivo Hennebergensi exscripsit Hier. Bruckner. Decis. Matrim c. 6. p. 319-321. (*i*) Vid. T. II. Altenb. p. 210. b. T. V. Alt. p. 391. T. V. Ienens. p. 256. (*k*) Brentius de Coniugio c. 2.

tentia Theologorum (*a*) ac Iureconſultorum (*c*) Helmſtadienſium, & Rintelenſium, (*d*) quorum placita ſecutus Elector Brandenburgicus Fridericus Wilhelmus Iuſtiſſimus ac ſapientiſſimus Princeps conceſſit, confirmavitq; (*e*) tales nuptias. Nec Conringius vir ſummus, nec Carpzovius (*f*) hic ſubſcribere dubitant, cum re non amplius integra videretur iniuſtum ob ſententias doctorum divortii imperare neceſſitatem. Sunt etiam illuſtria huiusmodi coniugia Philippi II. Regis Hiſpaniarum cum Maria Auſtriaca, Philippi IV. cum Maria Anna Auſtriaca, Leopoldi Imperatoris cum Margaretha Thereſia Hiſpana, qui omnes ſororum filias duxere toto terrarum orbe congratulante.

Cum fratria, conſenſus Iudaeorum.

5. *Fratris viduam* ducere Iudaeis certa conditione erat mandatum, ſi ſterile fuiſſet coniugium, aliter autem prohibitum. Herodes tamen, repudiata priori vxore Aretae Arabum Regis filia, duxit Herodiam, ante fratri Philippo nuptam, a quo etſi ex ipſo filiam Salomen habuiſſet, perfide diverterat Herodias (*a*) Neque tamen legitur, Iudaeorum Sacerdotes eapropter aut monuiſſe Heroden, aut ſacris arcuiſſe, cum illis poſſet eſſe perſvaſum, pro ea, quae tum valebat divortiorum atque polygamiae impuni licentia, licuiſſe Herodi tanquam

(*a*) Quorum Reſponſum 1668. 9. Aug. ſcriptum affert. Bruckn. Dec. Iur. Matr. c. V. p. 290. ſeqq. (*b*) Horum Reſponſum habet Sam. Stryck. not. ad Brunnem. Ius Eccleſ. L. II. c. 16. §. 22. pag. 619. (vet. edit.) (*c*) Referente Droſemario diſſ. inaug. ad dictum: non Mœchaberis, pra ſide D. Bern. Schultzen habita, Theſ. 8. (*d*) Droſemar. l. c. (*e*) Eius Reſponſum 1668. 5. Aug. exaratum habet Bruckn. l. cit. pag. 290. (*f*) Carpz. Iurispr. For. p. IV. Conſt it. 23. def. II. (*g*) Vid. Ioſeph. Antiq. Iudaic. L. XIIX. c. 7. (aliis 9.) & 11. Adde Biblia Vinarienſia Erneſtina ad Matth XIV. 4. Marc. VI. 18.

quam Regi lege civili de non ducenda, vxore fratris ſe exſolvere. Iohannes vero increpavit acriter & animoſe Regem adulterum, & Coniugii fraterni doloſum diſtractorem, non quod ſpecies deeſſet, facinori obtendenda, ſed, quod divinus iſte vir altius penetraret, quam vt vana ſpecie oculos ſibi pateretur obſtringi, facile animadverteret, repugnare naturali legi, alii cuicunque nedum fratri vxorem abducere, licet interveniat civilis divortii ſolemnitas; Itaque in eo magis peccaſſe Heroden, quod adulterium, commiſiſſet, quam quod cum fratria.

6. Inter Chriſtianos etiam non inauditum eſt cum fratria matrimonium. Anglis Livoniſque, cum primum fidem acciperent, permiſſa fuiſſe a Romano Epiſcopo conſtat (a) nec deſiiſſe inter Scotos ante ſeculum XI. (a) In Aethiopia autem (in qua primae Apoſtolicae Eccleſiae ritus adhuc obtinere vulgata eſt perſvaſio, nec vana forte, cum, more primae Chriſtianae religionis infantiae ſolito, & circumciſio & alia ex Moſaicis inſtitutis obſerventur) itidem valere nuptias cum fratria & ſuccedere fere fratrem, fratri in Coniugio, docuit Danhauerus. (a) *Chriſtianorũ antiquorum.*

7. Nec deſunt recentiora & illuſtria exempla vbi aut Romanus Pontifex aut celebres Theologi vel integra omnino Conſiſtoria & Academiae aſſenſere. Sic in Luſitania priori adhuc ſeculo Maria Franciſca Regina auctoritate Papali divertit ab Alphonſo VI. Rege eiusque fratri Petro nupſit. In Polonia Rex Iohannes Caſimirus defuncti fratris Vladislai IV. viduam Mariam Gonzagam duxit, non minus ſuffragante Ro- *Et recentiores.*

(a) C. Deus qui Eccleſiam ſuam extra de Divortiis. (b) Selden. I. N. G. L. V. c. XI. p. 634. (c) Danhauer. de Eccleſ. Aethiop. c. 5. fin.

mano Antiftite. Et, ne ex Auguftanae Confeffioni addictis, exempla defutura putes, Ludovicus XVI. Comes Oettingenfis anno 1566. adfcivit in Matrimonium viduam fratris fui Lothi, Claudiani ab Hohenfels, confentiente omni Confeffu Cleri Oettingenfis, cuius exafciatum, pro tempore, refponfum poft in communem vfum fuit pubicatum. (*a*)

Temporis. 8. Maxime autem agitata eft haec Controverfia, cum Henricus IIX. Angliae Rex fratris Arthuri viduam Catharinam fibi vxorem copularet. Nec iam attinet enumerare diffidia doctorum, & turbas ab Henrico tum in contrahendis his Nuptiis tum in diffolvendis deinde motas. Adeat, cui volupe eft, Sleidanum, (*b*) & diffufius fi cognofcere cupit, Burnettum. (*a*) Id vnum addam, effe hoc coniugium ab omni Schola Lovanienfi, (*d*) ex noftris, a Luthero (*e*) (qui legem de ducenda fratris vidua adhuc facile fuadendam ait, (*f*) & ab Adami aevo deducit, (*g*) fubnixus exemplo Thamaris) (*h*) & Melanchtone. (*i*) Noviffime etiam, Orthodoxiae nomine Celebratiffimus I. Fr. Mayerus (*k*) huic fententiae aliqua ratione, quod ita fi mariti fratri

(*a*) Extat in Streit-Schriften und Actis des Oettingschen Colloquii p. 72. feqq. (*b*) Sleidan. de ftatu relig. fub. Car. V. Lib. IX. anno 1534. (*c*) Burnet. Hift. reform. Angl. p. 2. n 35. adde Iac. le Long en l'Hiftoire du divorce d' Henri IIX. & Catharine Paris 1668. (*d*) Conf. Bruckner. Decif. Iur. Matr. c. V. p. 273. 281. &c. (*e*) Apud Sarcer. Corp. Iur. Matr. p. V. p. 293-296. (*f*) Luther. T. III. Altenb. p. 235. b. wie fich die Chriften in Mofen follen fchicken. (*g*) Luth. T. IV. Alt. p. 235. b. T. VI. Alt. p. 433. T. IX. Alt. fol. 1188, b. ade de Sarcer. l. c. p. II. pag. 263. (*h*) Genef. XXVIII. 8. 11. 26. (*i*) Apud Sarcer. l. c, p. V. p. 290-293. & in refponfis ac Confiliis Melanchtonis editis a Pezelio p. 1. p. 228. (*k*) Mayer. Diff. de Grad. prohibit. c. 7. §. 7. 8.

tri tradatur, miserae viduae succurratur, subscribi posse definiuit.

9. *Patrui Viduam* vxorem habere non illicitum pronunciavit Lutherus apud Sarcerium, (*a*) cuius etiam atque Melanchtonis, Brentii & Iusti Ionae suffragia in alio casu affert Brucknerus. (*b*) *Cum Vidua patrui.*

10. *Uxori ab Avunculo* relictae rite iungi posse nepotem ex sorore, pronunciavere olim Scabini Ienenses, (*c*) & consentiunt Cocceius, (*d*) Lynckerus, (*e*) atque Carpzovius. (*f*) De *Patrui magni vidua* idem iudicavit Mevius. (*g*) *Et Avunculi.* *Atque Patrui magni.*

11. *Fratris filiam aut neptem* nec Mosaica lex prohibuit ducere, vnde Herodes (*h*) nepotem ex fratre duxit, suamque vicissim filiam fratri Pherotae elocavit. Nec primis Christianis fuit improbatum, cum nec Canonibus vulgo Apostolicis dictis (*i*) (qui saltem Seculo VI. compilati esse perhibentur) alia his coniugiis censura ecclesiastica addatur, quam vt ineptos reddat obeundo muneri ecclesiastico; & ab Imperatore Heraclio concessae sint, quae antea prohibitae fuerant, tales nuptiae (*k*) Consentit Lutherus (*l*) Conringius (*m*) & Klingius (*n*) & quotquot superius in ducenda ex soro- *Cum fratris filia aut nepte*

(*a*) Sarcer. Corp. Iur. Matrim. p V. fol. 304. 305. Lutheri esse, cum nomen desit, docet Bruckner. Decis. Iur. Matr. c. V. §. 6. n. 3. (*b*) Bruckner. l. c. & p. 288. seqq. (*c*) Apud Bruckner. l. c. p. 290. (*d*) Coccei. Consil. c. 3. tot. & c. 6. cons 23. (*e*) Lyncker. disp. de Dispens. Matrim. thes vlt. (*f*) Carpzovius Iurisprud. Consistor. L. II. tit. 5. def. 90.

ſorore nepote advocavi, cum in vtroque par ſit ratio.

Cum ſorore vxoris. 12. Non quidem intricata magis, magis tamen celebrata eſt de *vxoris ſorore* ſibi coniuganda diſceptatio, iam Sec. XVI, nata, cum Sigismundus Auguſtus Rex Poloniae tertiis votis ſibi primae Coniugis Eliſabethae ſororem Catharinam Ferdin. I. Imperatoris filiam iunxiſſet. (*a*) Iam vero ter intra medium ſeculum mota & contentioſius eſt agitata. (1) cum Auguſtus Philippus Dux Slesv. & Holſatiae & Lineae. Beccenſis Caput mortua coniuge Clara, Antonii Comitis Oldenburgenſis filiam Sidoniam ſororem ipſius 1649 duceret, pugnante acriter contra hoc Coniugium Mich. Havemanno Antiſtite Bremenſi, & Aegid. Strauchio Theologo non obſcuri nominis, defendente contra ICto Rintelenſi D. Chriſtophoro Ioach. Bucholtzio. (2) Cum Alb. Erneſtus, primus Princeps Oettingenſis 1682. prioris Coniugis Chriſtinae Fridericae VVürtembergenſis Principis iam ante VIII annos defunctae ſororem Eberhardinam Catharinam ſibi deſponſaret. Vbi certe tantam in conquirendis variarum Academiarum, & celeberrimorum Divinae humanaeque legis diligentiam adhibuit Celſiſſimus Princeps, inſtituto poſt peculiarietiam colloquio Oettingenſi, & editis reſponſis actisque, (*b*) ut maiorem vix potuiſſe videatur. (3) cum ſub initiis huius ſeculi Götzius Praecoverbi divini Quedlinburgenſis idem ſequeretur conſilium, varie denuo publicis libellis fuit diſceptatum, qua in Con-

(*a*) Vid. Anton. Maria Gratiani Vita Cardin. Commendon. L. II, c. 17. 18. 19. cit. Hert. Opuſcul. T. I. pag. 430. (*b*) Vid. Streit-Schriften/ Reſponſa, Gutachten und Acta des Colloquii Oetting. über die Ehe mit der Frauen Schweſter. Edita iuſſu pricipis, in 4.

Controverſia praecipue Frid. Ern. Kettnerus (*a*) contra Görzium depugnavit, quam feliciter; meum iudicium non eſt.

13. Sed in canonibus Apoſtolicis (b) iam huius connubii fit mentio, ita quidem, vt Clerici dignitate privent maritum cum binis ex Ordine Sororibus iunctum, non autem in aliis damnent. Et 4to ſeculo Honorius Imperator duas Stiliconis filias, vnam poſt alteram ſibi coniugavit. (*c*) Nec veritus eſt eodem fere tempore Diodorus, Tarſenſis Epiſcopus, de Eccleſia ſuo ſeculo optime meritus: eiusmodi coniugia palam con-concedere, reprehenſus & confutatus propterea a Baſilio Magno, (*d*) ſed non magni ponderis argumentis. *Consensus veteris ecclesiae.*

14. Poſterioribus temporibus, ex noſtris ſuum addidere Calculum Lutherus (*e*) & Brentius, (*f*) quos fere vbiq; ſequitur Eraſmus Sarcerius (*g*) Theologus Lipſienſis, primus inter noſtrates, qui de Iure Connubiorum commentari fuit auſus; Aſſentiunt Wittebergenſes, (*h*) & Summus ICtus (antequam Pontificiis ſe iungeret) Tubingenſis Beſoldus (*i*) nec non Kitzelius (*k*) & Brucknerus, (*l*) imo Grotius (*m*) atque Scherzerus. (*n*) Denique Spenerus (*o*) vir, ſiquis alius, ſcrupuloſiſſimus, ita ſe hic fatetur fluctuare, vt, ſi fides de fu- *Et Evangelicorum.*

L

(*a*) Scriptum prodiit 1707. 8. (*b*) Canon. 19. (*c*) Zoſim. Hiſtor. L. V. Zonar. Annal. p. III. Paulus Diaconus Rer Roman. L. XIV. (*d*) Epiſtola. 197. (*e*) Lutherus T. I. Ienenſ. fol. 149. 150. (*f*) Brentius Opp. Latin. T. I. in Lev. cap. 16. (*g*) Corp. Iur. Matrim. p. I. p. 42. ſeq. p. 135. ſeqq. (*h*) Con-

futuro coiugio iam intercesserit, non se ausurum dissuadere fateatur. Denique sub ipso huius anni auspicio eandem in sententiam Theologi atque ICti Helmstadienses responderunt.

Cum Nepte seu filia sororis vxoris. 15. *Uxoris sororis filiam aut Neptem* in matrimonio habere concesserunt olim Scabini Lipsienses apud Carpzovium (*a*) nec non Theologi Lipsienses (*b*) atque ICti Hallenses, Ienenses, Francofurtenses, Kilonienses, Rintelenses, (*c*) & idem iudicat Stryckius, (*d*) Brucknerus (*e*) aliiq; multi. (*f*) Nec alia fuit Iudaeorum olim consuetudo. (*g*) Et Gustavi Wasae R. Sueciae nuptias, cum coniugis sobrina comprobasse Suecos Theologos docet Loccenius. [*h*]

Cum filia fratris vxoris. 16. Denique *Vxoris fratris filia* in matrimonium olim concessa est [etiamsi reclamaret Consistorium Lipsiense ea in causa consultum] ab Electore Brandenburgico, & alio tempore a Duce Gothano, vt de vtroque refert Brucknerus. [*i*] Et *Privigni Viduam* a Theologis Wittenbergensibus vitrico permissam esse docet Bergerus [*k*]

Cum privigni vidua.

17. Quod itaque per omnes propinquitatis formas olim & noviter summis & Ecclesiae & Reipublicae

cae

(*a*) Carpz. Iurispr. Consist. L. II. tit. 6. Def. 13. & 99. num. 5. seqq. (*b*) 1649. teste Dedekenn. append. Consil. p. 834. (*c*) Quorum omnia Responsa habet Vir summus Berger. Supplem. ad Electa Processl. matr. p. 68-107. qui etiam Theologicum addit Responsum. (*d*) Supplem. ad Brunnem. Ius Eccl. L. 2. c. 16. §. 25. 26. (*e*) Bruckn. l. c. p. 271. 299-301. (*f*) Beza de Divort. & repud. f. 48. & 53. Zanchius T. III. p. II. L. IV. p. 785. Richter. Consil Iurid. p. I. Dec. 11. n. 13. p. 2. Consl. 15 & 40. (*g*) Selden. Vxor. Ebr. L. I. c. 6. Schilter. Exerc. ad D. 36. thes. 40. [*h*] Loccen. Hist. Suecic. L. VI. ad annum 1552. [*i*] Bruckn. l. c. p. 271. 299-301. [*k*] Berger. Supplem. ad Electa processl. Matr. p. 114-124.

cae Praesidibus atque Doctoribus non improbatum damnatumve fuisse ostendi, id nec novum nec inauditum haberi debet, sed eiusmodi esse oportet, quod nec publicam quietem nec veram pietatem vulneret.

Cap. VII.

Scopus dictorum & Conclusio.

1.

VLtimo loco, cum rem ipsam satis mihi videar confirmasse, necessarium esse duco, calumniae obviam ire, cui solet fere quod vsu non est receptum, quatumvis verum sit, subiacere. Ita enim cum humanis rebus comparatum nunc est, vt si quid discedas a vulgari tramite, mox eorum maxime incurras censuram, quibus omnium minime nec potestas nec facultas est de talibus iudicandi. Nec audiunt fere isti [si diis placet] Dictatores, quibus nitaris rationibus, nec ipsi possunt meliora & certiora demonstrare, sed mox in pugnam ruunt, & opponunt non argumenta rerum; sed *Ne calumniae locus sit.*

-- -- Convitia, ludos
Scommata, Sarcasmos, ronchos, sannasq; pudendas,
Probra, leves risus, stolidos sine mente cavillos.

Quod cum iam dudum nonnullis, qui divinioris se sapientiae non sectatores sed statores omnino haberi postulant, in more fuerit, ne & mea haec, a pullatis his Cen-

gnare cum illis veritatibus, quae ad ipsam fidem Christianam doctrinaeq; in nostris Ecclesiis receptae fundamenta faciunt, vtpote cum quibus omnis de illicitis nuptiis disceptatio, nec per calumniam quidem potest committi.

Nec negatur, minus honestas, & ad societatem tuendam aptas esse nuptias proximiorum.

3. Et quamvis negem aut naturali aut divina vniversali lege incestuosa, nefanda atq; interdicta esse talia coniugia, fateor tamen, imprimis quae cum parentibus posterisq; contrahuntur, ex ipsa ratione esse inhonesta, atque pugnare cum privata publicaque tranquillitate. Cum & infinitis domesticis libidinibus ansam præbeant, & aliorum cupiditates serpente exemplo irritent, & infelicia, iurgiis, contemtui mutuo, exacerbationibus, imo adulteriis & parricidiis facilius obnoxia matrimonia efficiant. Vt adeo, qui virtutis & tranquillae mentis studiosus sit, illis merito abstineat.

Et cum perfecta christiana virtute pugnare.

4. Magis autem, fateor, pugnare ista commercia cum puritate & perfectione Christiana, in qua etiam quae licita honestaq; habentur, omittenda sunt, ne alios vel offendant, vel libidines aliorum sollicitent. Itaque, qui non vereatur contra leges civiles, contra receptam consuetudinem, absq; iusta ratione suis se iungere, cum extranea vbique affatim suppetant, nae is parum Christiano nomine dignus sit, sed misere luctatur cum pravis cupiditatibus.

Nec vmquã suadendas esse statuentur.

5. Itaque privatim nemini, dum res adhuc invado est, nec suadendas, nec laudandas cum proximis consanguineis nuptias, statuo, vel ex sola illa ratione, ne quod iam, placet, forte ex cupiditatis fervore, olim vel conscientiam, errantem quamvis, vulneret, vel praetexto illiciti & incestuosi nomine dirimatur.

Nec tamen, vbi factae, dirimendas.

6. Vbi vero ita iam inter se coaluerint necessarii, vt nec honeste possint divelli, nec sine insigni, scandalo,

vbi

vtibene iudicavit Spenerus, (*a*) non eſſe diſſipanda conſummata aut firmiter innixa matrimonia, ſed firmanda & publica auctoritate fortius conſtringenda.

7. Neque turbandas iſtiusmodi hominum Conſcientias quibuscunq; rationibus, ſed potius elaborandum, vt firmiter perſuaſi, Deo hunc ſtatum per ſe non diſplicere, ornent pietate amorisque conſtantia inſolitam coniunctionem, & feliciter adeo, id eſt pie atque tranquille vivant.

Nec turbandas Coniugũ conſcientias.

8. Cum autem civilibus commodis aptiſſimum ſit, vt latius diffundantur affinitates, & ea ratione cives arctius ſibi innectantur; adhaec ex perpetuis in ſua familia, maxime proximorum nuptiis, infinitate lites, atque praevaricationes oriri poſſint, denique in tanta vulgi ad libidines & vitia proclivitate, omnino proſpiciendum ſit, ne eae magis adhuc ſpe futuri coniugii increbeſcant, prudenter omnino & iuſte legibus civilibus omnes proximorum tum lineae rectae tum Collateralis prohibentur coniunctiones, & pœnis etiam civilibus coërcentur, cum qui ſciens legem negligat, ſibi imputare debeat, ſi pœnae ſit obnoxius.

Prudenter tamen interdici civili lege.

9. Neque, ſi licet privatis, de officiis ſummorum Imperantium iudicare, omnino ita facile, & promiſcue, vt fere fieri ſolet, concedendae eſſent contra leges nuptiales diſpenſationes, niſi aut Reipublicae inſigne aliquod ſubſit commodum, aut privatorum conſcientia aliter ſalva eſſe nequeat.

Contra quã rarius danda eſſet venia.

10. In his enim eventibus omnem huius Diſceptationis vſum colloco, cum aut Principi in tanta fami-

Coniux inveniri poteſt, aut ipſi atque reipublicae eximium aliquod emolumentum ex tali matrimonio poteſt ſperari. Deinde vbi, vt inter homines ſubinde fit, ita iam inter neceſſarios amor coniugalis, fide data, iuramentis, ſubinde etiam corporis coniunctione coaluit, vt divelli non poſſit, quin animi atque conſcientiae illorum, ſubinde & fama, immedicabili vulnere ſaucientur. (*a*)

11. Rebus enim ita ſe habentibus, iuſtum piumque eſſe exiſtimo, quod Deus nusquam ſimpliciter damnavit, concedere, & quod in aliis nec laudo, nec temere concedendum puto, hic tolerare; ita tamen, vt provideatur, ne vulgata licentia aut pudicitia domeſtica, aut publicae tranquillitatis rationes diſcrimini exponantur, paucis: vt exemplo legis divinae Iud*æis* datae, ita civiles leges & temperentur & obſerventur, vt virtus in privatis, in publicis vero quies, concordia, felicitas populi promoveatur atque conſervetur.

(*a*) Hae ſane conſiderationes Luthero, Melanchthoni & Martino Bucero, Theologis illuſtrioribus, tanti fuere, vt propterea Philippo Magnanimo Haſſo viuae coniugi & fœcundae Chriſtinae, aliam adhuc, Margaretam von der Saale, clam ſuperinducere permiſerint. Reſponſa illorum habet Sarcerius in corpore iuris matrimonialis, & Daphnaeus Arcuarius (ſiue Laurentius Begerus, Bibliothecarius poſtea Berolinenſis Regiae Bibliothecae celeberrimus) in der Betrachtung vom heil. Eheſtande und viel Weiberey p. 210 ſeqq.

